Moderata eſſe debet, & cum cauſa.

Conſtat, & id ſatis docet experientia, correptionem fundamentis laborantem non minus nocenti obeſſe, quam proprium ſcelus; & zelum adeo parum illuminatum minus optandum eſſe in corripiente, quam ſilentium de peccato, quod corripiendum eſt. Antequam aliquem de crimine corripias, certus eſto hoc ab illo fuiſſe commiſſum, atque tunc correptionem crimini accommoda: *Priuſquam interroget, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris corripe juſte. Idem.*

Injuſtitia eſt alios corripere, & ſibi parcere.

Se mentis parum ſanæ oſtendit, qui minora fratrum ſuorum vitia conſectatur, & redarguit, cum interea de ſuis non laboret, quę longe graviora ſunt. Trabs toto cœlo major eſt quam palea: Non videmus trabem in oculo noſtro, & obſervamus paleam in alieno. Videlicet in aliis detegimus exempli gratia, leves impatientias, quæ illis excidunt; nec videmus iracundiam, quę in nobis dominatur. Nonne hic cumulus eſt injuſtitiæ? Neque illud prætexendum eſt, quod alii facilius videntur, quam noſmetipſos videamus. Inutilis color! Non agitur iſtic de corporeis oculis, ſed de oculis animæ; de mentis noſtræ attentione ad noſmetipſos, quæ nobis vitia noſtra detegit. Hoc textus Græcus innuit. *Trabem, quæ in oculo tuo eſt non conſideras.* Antequam igitur proximum judicemus, atque damnemus ſerio noſmet colligamus, & perpendemus, utrum nobis eadem ſint vitia, immo etiam graviora, quam illi, ac noſmet agnoſcentes longe imperfectiores proximo, facile zelum noſtrum coercebimus, quo ad illum corripiendum impellimur. Quam enim parum decet, donec ipſi vitiis diffluimus oculos noſtros in alienas tantum noxas defigere? Sapientiſſimum ergo conſilium noſtrum erit, ad noſtram converſionem animum advertere, antequam ſimus de aliena ſolliciti. Habemus trabem in oculo noſtro, videlicet, grave crimen dominatur in nobis, & de hoc non laboramus, & ne cogitamus quidem, cogitamus vero de noxis proximi, quæ ſæpe leviores ſunt noſtris. Quæ cæcitas! *Qui ergo alium doces, teipſum non doces. Pater Segneri in Meditationibus.* **Rom. 2.**

Ejuſdem argumenti.

Quandiu noſmetipſos negligemus, quam utilitatem a curis noſtris fratrem percipient? Quin proficiant ex zelo, quem contra illorum noxas oſtendimus, nos ſemper irridebunt. Si enim trabs, quam habemus in oculo, non vetat quominus videamus paleam, quæ eſt in oculo eorum; palea, quam habent in oculo non prohibebit illos etiam, ne videant trabem, quæ in oculo noſtro eſt; ac in ludibrium vertentes zelum noſtrum merito dicent: *Medice cura te ipſum.* Ulterius etiam procedent ab irriſione ad indignationem; ac ſcandalizabuntur videntes ſe corrigi a nequioribus ſe. *Ante judicium para juſtitiam tibi, & antequam loquaris, diſce.* **Eccli. 18.** Vis exercere cum fructu talenta, quæ tibi contulit Deus, ut ad fratrum tuorum converſionem attendas? incipe a tui ipſius converſione, & lacrymis elue ſcelera tua. Tunc eſtimabunt illi zelum tuum, ac proficient ex monitis tuis. Nonne inſignis temeritas eſt, & non ferenda ſtultitia velle cum manibus lutulentis pulverem ex alterius ore detergere? *Ab immundo quid mundabitur? Idem ibidem.* **Eccli. 34.**

Ut Correctio ſit efficax tempus eſt eligendum.

De correctione idem ſentiendum, ac de auxilio, quod præberi poteſt iis, qui furenti procella agitantur. Interlucet ſciſſum fulguribus cœlum, venti undequaque furunt, & navis ſemifracta hac illac fertur; quomodo huic præſtes opem? Hoc unum facere potes, ut manus in cœlum attollas, eorumque doleas vicem; te enim fluctibus committere, ut eos de præſenti periculo adducas, hoc eſt, temet in periculum dare, ut pereas cum illis. Vides hominem adeo iracundum, ut ſeipſum minime noverit; vinum, vel cupiditas in hanc illum dedit inſaniam; irrito labore cum in hoc ſtatu poſitum corrigere conaberis; attende donec procella detonuerit; fortaſſe ventus Spiritus Sancti afflabit illum, & adducet in portum; fortaſſe illum pudebit ſuarum libidinum; atque tunc temporis ſpatium illi opitulabitur, & tibi. *Ex dictionario Morali.*

Correctio cum lenitate facienda eſt.

Quidquid dicitur aut fit magno cum impetu, proximo corrigendo aptum non eſt; ubinam aliquem intuemur fructum durioris hujus agendi rationis. Corda ſunt demulcenda, nec illa mulcentur niſi charitatis, atque benevolentiæ argumentis. Satis non eſt rationem habere. Rationem corrumpit, ac dedecorat, qui illam imperioſius, ac ſeverius tuetur. Lenitate, patientia, ſuavitate ſenſim flectuntur animi, ad veritatem excipiendam diſponuntur, immittitur in illos veterum præoccupationum diffidentia, inſpiratur illis neceſſaria confidentia, & ad incompoſitos habitus ſuperandos inflammantur. Cum, qui indiget correctione, vult corrigentem ſuo ingenio obſequi, nequaquam ad ſeipſum corrigendum paratus eſt. Amor proprius ſemper rebellat contra aſperum monitorem. Deus ipſe id genus correctionibus non benedicit; iracundia, ut S. Jacobus ait, numquam operatur juſtitiam Dei. *De Fenelon Cameracenſis Epiſcopus in delectis ſermonibus.*

Quomodo ſit accepianda correctio.

Monita, quæ nobis præbentur beneficii loco habenda ſunt, & tamquam validum adminiculum, quo noxis omnibus liberari poſſumus, ideoque non alacriter tantum, ſed avide etiam recipienda ſunt. Ipſa, quæ illa conſequitur amaritudo, nobis eſſe debet jucunda, quoniam humilitatis bonum procurat nobis, & amorem proprium præcipuum inimicum noſtrum infirmat. Ita quin tantum hoc bonum procurantibus nos tædio, vel amaritudine aliqua affici teſtemur; nihil nobis prætermittendum eſt, ut immo gratiam illis habere videamur, ut liberemus illos metu, ne nos a ſe læſos fuiſſe putent, ut illos invitemus, ut quam ſępiſſime de nobis mereantur, atque ut omnem illis metum auferamus, qui eos nimis cautos, & pavidos poſſet efficere. *Ex Tractatu de Charitate, & amore proprio.*

Si alios reformare voluerimus, quin noſmetipſos reformemus zelus noſter aliis ſcandalo erit, & nobis detrimento.

Alienos mores reformare velle, quin de nobiſmetipſis reformandis cogitemus, hoc efficere eſt ut zelus noſter nobis quidem noceat, aliis vero ſcandalo ſit. Hoc non inutile tantum eſt, ſed noxium quoque nobis præſertim. Nam ex quo *alium judicas; te ipſum condemnas.* Igitur noſmet conſtituendo judices fratrum noſtrorum, cum & ipſi nocentes ſimus, Dei iracundiam in nos provocamus. Verum quidem eſt, Principibus, Prę ſulibus, Magiſtratibus, & iis omnibus, quibus juris dicundi poteſtas collata eſt, hoc eſſe faciendum licet ſe nocentiores illo ſentiant, quem damnant. Verum præter illos, hoc jus eſt quod nemini ſibi vindicare licet, immo ne ipſis quidem Evangelici Verbi miniſtris. Irreprehenſibilis tibi vita ducenda eſt, antequam poſſis in aliis reprehendere ſeu palam, ſeu clam, flagitioſum vitæ genus quod ducunt: *Mundati ſunt Sacerdotes, & Levitæ, mundaverunt populum.* **2. Eſdr. 12.** Alios corrigere velle, cum ipſi corrigendi ſumus, præſumptio eſt, & ſcandalum ſimul, ſi alii norunt quod ſumus; & hoc voco Dei iracundiam provocare. Si per præſumptionem delinquimus, æquum eſt ut Deus confundat ſuperbum conantem tegere nequitiam ſuam corripiendo alienam. *Percutiet te Deus paries dealbate.* **Act. 23.** Si præſumptioni ſcandalum accedat, æquum eſt adhuc, ut Deus nos condemnet tamquam ſeductores, qui ſermonibus ſuis animas convertere velle videntur, & re ipſa eas ſuo exemplo pervertunt. *Ejuſmodi pſeudo Apoſtoli ſunt operarii ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. P. Segneri in Meditationibus.* **2. Cor. 11.**

Dei iram in ſe concitat qui aliena vitia corripere vult & negligere propria, Iſa. 65.

Nihilominus laude dignum eſt fratres noſtros, ſi quid peccaverint, corrigere; verum antea de noxis noſtris noſmet corrigere cogitemus. Alioquin eo magis Dei iracundiam irritabimus, quo in oculis ejus erimus nocentiores, dum in oculis hominum juſtos videri appetemus. *Væ qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die,* quid prodeſt heu! ad aliorum perfectionem incumbere, ſi vis ipſe in tua ſordeſcere iniquitate? Ita omnium laborum fructus apud homines, & coram Deo meritum omne amittitur. Zelus qui incipit ab Apoſtoli reformatione, ſolus efficax eſſe poteſt, & meritis accenſendus. Quoties examinans, & condemnans alios, ne cogitans quidem ſeveriſſimam in me ipſum protuli ſententiam? Nimis indignus ſum, Deus, indulgentia tua, quin adhuc iracundiam tuam provocem cenſuram in alios exercendo. *Idem ibidem.*

Ratio bonam efficiendi correctionem.

Non omnia tempora, neque loci omnes apti ſunt, ut cum fructu fraternę charitatis munere perfungaris? Cave ne fratrem ſtatim in arena corripias; da illi tempus crimen ſuum conſiderandi; ſine ardorem illius deſervere; expecta donec ratio cupiditaditatem adhuc ferventem ſuperet; ubi tranquillior erit, aptior erit proficiendo ex monitis tuis. Tu etiam fortaſſe indiges tempore, ut quæ tibi dicenda ſint cogites; fortaſſe tuum etiam cor turbatius eſt, atque tibi quędam nimis ſignificantia ſuggereret verba ad turbam augendam, quam ad animum mulcendum aptiora? Diligentiſſimam habe rationem illius, quem corripere ſtudes, & ad id parce illius verecundiæ; locum quære, ubi ſecreto eum alloqui poſſis. Fatebitur fortaſſe crimen ſuum ſeorſim correptus, qui illud mordicus tueri vellet coram aliis exprobratus. *Ex Morali novi Teſtamenti. Pater la Neuville tomo 1.*

Ejuſdem argumenti.

Ut a fratre audiaris tibi prudenter, ac leniter loquendum eſt. 1. Prudenter quidem in correptionibus, quibus proximum corrigere debebis, ad unguem Sancti Pauli conſilium ſequere: primum rationem habe caracteris, ætatis, ordinis, actualium affectionum illius, qui a te eſt arguendus; deinde vero criminum, quæ ſunt corrigenda. Chriſtiana Sapientia magnum ſtatuit diſcrimen inter eam reprehenſionem, qua primum, & qua iteratum crimen redarguit; qua leve facinus, vel grave peccatum; qua noxam, cujus nullus videtur funeſtus exitus futurus, vel quam alia multa ſubſecutura ſunt, corripit. 2. *Leniter.* Verus zelus numquam amarus eſt, & charitas per ſe ſuavis eſt. Cum igitur acrius, imperoſius, violentius fratrem tuum corripueris, id a te fieri arbitrabitur per invidiam, iram, cupiditatem; & inde monita tua in irritum abibunt, & quin fratrem lucreris, illum in nullam ſpem reditus perdes. Odi, puni noxam, ſed nocenti parce, eumque dilige. Quælibet correctio per ſe ſatis amara eſt, ne augeas amaritudinem ejus duritia verborum, & oris habitu nimium elato, & ſevero. Præſertim conare te irreprehenſibilem præbere in iis, quæ tibi in aliis ſunt corrigenda. *Idem.*

Conditiones zeli habendi in proximi correctione.

Non deſit zelus proximorum vitia corrigenti; extinctæ quippe charitatis indicium eſt, ſi deſideretur; ſed zelus iſte numquam ſit acer, imprudens, ſed humilis, ad miſerationem pronus, & moderatus. Plorandum eſt, cum morum licentia videtur, ſed cum præpoſitus non es vitiis aliorum corrigendis, cur tanta acrimonia, & amaritudine reprehendis? Modus hanc morum rationem corripiendi eſt vita frugi, & boni exempli in nobiſmetipſis, & hic unus, qui decet eos, quibus aliorum cura demandata eſt, & unus, qui numquam ſuo careat fructu. Conſiderate igitur ad quem zelus veſter ſeſe extendere debeat, & quinam a vobis ſint corrigendi, & cogitate vos rationem eſſe reddituros eorum, qui vobis ſubditi ſunt. Ne confidatis nimium in bona eorum fide: ne dicatis, ſatis ætatis habere, ut agnoſcere debeant officia ſua; ſed eorum vitia corripite non ſine modo. Primum zeli veſtri documentum ſit bonum exemplum, neque confiditis in zelo alterius, qui vobis negligentius creditam provinciam procurabunt. Eſtote igitur rigidi, quin ſitis amari, & auſteri; contumelioſis verbis abſtinete; facite, ut perſuaſum omnibus ſit zelum veſtrum Chriſtianum eſſe, ideoque a charitate inſeparabilem. *Ex Aſceticis Exercitationibus P. Croiſet Tomo 2.*

Monitum iis, qui regulari vel ſæculari præſunt communitati.

Præeſne Corpori, aut Communitati? Indefeſſo tibi zelo opus eſt, ut nec admittas, neque patiaris aliquid pietatis laxari; ſed mone cum lenitate, corrige cum modo, ſed præſertim tuo loquere exemplo; tibi nulla in re indulgens, ad unguem exactus eſto, ne tibi aliquam vindices diſpenſationem, atque tunc mala corriges, & Communitatis tuæ reformationem incipies. Omnis zelus inquietus, acer, mordax pſeudo zelus eſt. Zelus tuus ſit lenis, beneficus, charitate plenus; fallitur, qui ſibi zeli ſatis eſſe pro aliorum correctione arbitratur, ſi pro propria deſit perfectione. Non diligimus magis proximum, quam noſmetipſos; qui tunc zelus vocatur eſt proprie vividum ingenium, ac merus ambitionis effectus. *Idem.*

Quo fine, & conſilio correctio ſit facienda.

Eſſe te oportet tamquam pium medicum erga peccatores, ut docet mundi Salvator; curare vulnera, quæ ipſi ſibi intulerunt, non inferre recentia. Reſpice ergo aliena crimina non iraſcens, ſed miſereſcens. Si ergo te læſit frater tuus, vel tibi ſcandalo eſt; illum ſeorſim conveni, ob illius oculos ſtatue peccatum ipſius, verum cum non aliud tibi quærendum ſit, quam ut lucreris illum, blandis, lenibuſque verbis illum affare; fandique tempus elige. Sentiat ille te intentum eſſe, non ut illi negotium faceſſas, vel de illo ultionem repoſcas, ſed ut illi medearis; teque magis affici malo, quod ille ſibi intulit, quam quod tibi illatum eſt. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus. Tomo 2.*

Fructus correctionis lenis, & opportune inſtitutæ.

Correctio lenis, & cum Charitate conjuncta, nec non opportune facta ſemper ſalutaris eſt; cum e contra illa, quæ fit cum acrimonia, vel ira, vel importune avertit animum & exaſperat cor. Reus quidem agnoſcit noxam, factumque damnat; ſed ſuperbus, duruſque modus, quo corripitur, efficit, ut ille mordicus crimini ſuo velit inhærere, ác illud tueri. Pauci haberent gratiam correpti, ſi cum charitate, & lenitate corrigerentur. JESUS CHRISTUS inſignia nobis præbuit exempla; ac præſertim jubet correctionem clanculum fieri: *Inter te, & ipſum ſolum.* Quælibet correctio publice inſtituta in illius, qui corripitur cor tot infert vulnera, quot teſtes habet. Videtur tunc quæri potius, ut in illo confuſio excitetur, quam illi præbeatur medicina. Si correctionem tuam audiverit, addit Salvator, non minimum quæſtum feciſti; etenim aliquid contuliſti, ut animam fratris tui lucrareris. *Lucratus eris fratrem tuum. Idem.*

De fraternæ correctionis utilitate.

Quomodo hodierna die inter fideles hic diſciplinæ ſervatur articulus? Plerique illum ignorant, & omnes alii fere negligunt. Hoc tamen graviſſimæ utilitatis officium eſt innixum utrique præcepto Charitatis erga Deum, & erga proximum. Poſſumuſne amare Deum, & non affici contumelia, quæ illi per fratris noſtri peccatum infertur? Poſſumuſne fratrem noſtrum diligere, & non affici dolore ob periculum animæ ipſius? Adhibeamus ergo eas artes, quas nobis tradit JESUS CHRISTUS ad gloriam illius reparandam, & in viam ſalutis revocandos eos, qui nobis videntibus ab eadem recedunt. Gradus, verbum, unica viſitatio opportune facta ſufficit ſæpe, ut duos hoſce effectus ſimul producat. Frater tuus erga te charitatem violaverat; jam crimen ſuum agnoſcebat, ejuſque pœnitentia tenebatur. Illud reparare cupiebat, & ad id nihil præſtolabatur amplius, quam propitiam occaſionem. Hanc illi præbe eum prævertens; quodcumque ipſe prior fueris aggreſſus, ſtatim in corde illius reſtituere potes charitatem. Hæc in corde tuo parum ſane altas radices egit, ſi abnuis id facere, quod adeo utile eſt, & facile. *Ex Morali novi Teſtamenti P. Laneuville, Tomo 4.*

CURIOSITAS,

DISSIPATIO SPIRITUS, EFFUSIO CORDIS,

IN SUIS OFFICIIS INCURIA &c.

MONITUM.

Etiamſi titulus hic ſatis aperte præſeferat, de quo iſtic agatur, operæ tamen pretium reor admonere, nos in hoc loco, neque inertiam complecti, neque temporis jacturam, neque alia argumenta, quæ cum hoc rationem aliquam poſſent habere, ut unice de curioſitate verba faciamus, quæ mentem noſtram diſſipat, eamque penitus occupat, vel nugis, vel iis rebus, quæ non ſolum ad nos minime pertinent, verum etiam, quæ efficiunt, ut oblivioni tradamus earum rerum curam, quæ ad nos perſonaliter ſpectant.

Verum eſt, variam eſſe Curioſitatem hanc pro varietate objectorum, quibus deſtinetur, & mala, quæ parit

rit totidem ſuppeditare poſſe argumenta Concionum. Verumtamen reor illam ad eos obices hic eſſe coarctandam, quos pietati, curæ ſalutis, & veri Chriſtiani officiis opponit. In hoc etiam ſeſe continere debet Sacer Orator, ne nimis vagum ſermonem inſtituat. Itaque hoc in loco nequaquam accuſamus homines, vel ne magnis ſceleribus, in quæ præcipites ruunt, vel de vitiis, quibus maxime patent; ſed eos hortamur, ut præcipuam illorum auferant cauſam, quæ eſt Curioſitas, Diſſipatio mentis, & cordis Effuſio in objecta plurima, a quibus diſtrahuntur, atque ab officiis ſtatus ſui, ſuorum munerum, ſuæque Religionis arcentur.

Cæterum ex hoc argumento plurimum percipi poteſt utilitatis, quandoquidem hoc illud ſibi proponere debet, ut auditores a vanis ſæculi curis amoveat, iiſque medeatur malis, quæ Curioſitas adfert; præterea locum præbet plurimis inductionibus, atque moralibus deſcriptionibus quibus mortales ad Chriſtianam vigilantiam, ſedulamque in omnibus officiis ſuis curam poſſunt excitari.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Synopſis.

I. CUrioſitatem omnino oppoſitam eſſe ſpiritui Religionis Chriſtianæ, & vitæ veri Chriſtiani: Fidelium plerique in hoc pernicioſo errore verſantur; Curioſitatem ex levium peccatorum numero eſſe, affectumque innocuum, & venia dignum, quem nemo ferme coercere contendit. Conſideratur enim tamquam medium aliquod ad ignorantiæ tenebras, cum qua naſcimur, excutiendas idoneum; tamquam indicium aliquod nobilitatis animæ noſtræ, & quoddam relati deſiderium, omnibus hominibus natura inditum, ad vitę hujus labores, mœrores, ærumnaſque leniendas. Verum quidem hoc eſſet, ſi recte hoc affectu ſciremus uti; ſed corruptio, quę ab eodem ſejungi vix poteſt, fons eſt ſcelerum omnium, & cauſa omnium malorum, quæ in mundo videntur; quod ipſum probandum aggredior, oſtendens curioſitatem chriſtianæ Religionis ſpiritui, & veræ chriſtifidelis vitæ, prorſus opponi. Hæc autem ſunt argumenta.

Chriſtianæ Religionis ſpiritus tribus in rebus præcipue conſiſtit, quas ipſe Dei Filius inſtituit, & quę ex conſtantiſſimis Evangelii dogmatibus eruuntur. Primum quidem in jugi mortificatione, & interiori omnium inordinatorum affectuum, & exteriori ſenſuum omnium. Secundo in vigilantia, atque attentione, qua noſmetipſos, atque cor noſtrum tueri debemus, ad omnes amoris proprii motus, omneſque inimicorum ſalutis noſtræ laqueos evitandos. Tertio in vita laboribus exercita, inertiæ inimica, & in id intenta, ut Cœlum acquirat. Huic autem ſpiritui vitæque Chriſtianæ quid magis oppoſitum eſt, quam Curioſitas? 1. Namque pro jugi rebus in omnibus mortificatione, Curioſitas efficit, ut cor ſeſe effundat extrinſecus; neque aliud quæratur, niſi voluptas, & ſenſuum omnium æque ac omnium deſideriorum ſatisfactio. Curioſitas ergo nonne inimica eſt Chriſtianæ mortificationis: ideoque in præcipuo Chriſtianæ Religionis fundamento ſpiritui ejuſdem oppoſita? 2. Nec minus oppoſita eſt vigilantiæ, qua jugiter nobiſmetipſis vacare debemus, & quam Salvator tantopere commendavit: ſed pro hac adeo neceſſaria vigilantia, quid aliud Curioſitas præſtat, niſi ut iis, quæ extrinſecus fiunt, intenti ſimus, longa aggrediamur itinera, ut illi ſatisfaciamus, nobis noſtrum metipſorum ingerens oblivionem, ut alienis tantummodo vacemus negotiis? Denique 3. ſi vita Chriſtiana in hoc poſita eſt, ut virtutes, & merita comparemus ad Cœlum acquirendum; quid illi magis oppoſitum eſſe poteſt ipſa Curioſitate, quæ efficit, ut mortalium plerique in aſſidua verſentur incuria, quæ eſt malorum omnium origo?

De malis, quæ ex Curioſitate proficiſcuntur.

II. 1. Curioſitas omnia ſciendi, diſcendique, cauſa eſt propter quam noſmetipſos ignoramus, ac noſmet cognoſcere negligimus, quæ quidem ſcientiarum omnium eſt utiliſſima.

2. Curioſitas, qua ſcire cupimus, quid alii faciant, alieniſque negotiis immiſcemur, efficit ut propria negligamus: ea ſaltem, quorum nobis maxime debet intereſſe; videlicet officia ſtatus noſtri, & curam familiæ noſtræ, & eorum, qui pendent a nobis.

3. Curioſitas, qua rara, pretioſa, & non communia conquirimus, efficit, ut iiſdem cor noſtrum adhæreat, omniſque affectus nugis impendatur cor illud dividentibus, quod unice in ſolida, æternaque bona deberet impendi.

Quomodo Curioſitas devotioni oppoſita ſit.

III. 1. Devotio in interiori ſpiritus collectione conſiſtit; ſed curioſitas nos diſtrahit, diſſipatque, efficiens, ut exteriora objecta ſequamur.

2. Devotio nos a creatis quibuſcumque rebus divellit, atque omnino ſeparat ab iis quæ mundus amat, ac deperit: Patet per Curioſitatem nos rebus illis adhærere quandoquidem tanta feſtinatione, & ſollicitudine non perquireremus illas, niſi eaſdem diligeremus.

3. Devotio facit, ut unice rebus in omnibus quęramus Deum, cui noſmet perfecte devoveamus. E contra vero Curioſitas nos a Deo removet, niſi ab eodem prorſus divellat, efficiens, ut in creatis rebus voluptatem noſtram quæramus, & inveniamus.

Curioſitas in perſonis Dei ſervitio dicatis. IV.

1. Curioſitas mentem diſſipat, ſenſim fervorem imminuit, ac efficit tandem, ut devotionis Spiritus evaneſcat: neque ad hoc probandum alia requiruntur argumenta præter experientiam, quæ aperte docet, inde teporem, ac religionis relaxationem incipere.

2. Efficit, ut Religioſi ſtatus ſui officia, & pietatis exercitationes negligant, ut non ſine regularitatis detrimento iis vacent, quæ externa ſunt.

3. Efficit, ut in mundum redeant quærentes mundi ſolatia, & iis rebus vacantes, a quibus diſtinentur, & diſtrahuntur.

Malum, quod Curioſitas ſingulis privatim adfert. V.

1. Curioſitas omnium ferme tentationum fons eſt; illas enim inquirit, irritat, alit, & fovet, qui per Curioſitatem videre vult, audire, & poſſidere objecta, quę illas poſſunt excitare, & producere.

2. Plurimorum peccatorum fons eſt: puta vanitatis, obtrectationis, temerarii judicii de alienis moribus, mendacium narrationum &c.

3. Cauſa eſt maximorum malorum, quæ in mundo contingunt, jurgiorum, inimicitiarum, zelotypiarum, diſſenſionum: cujus rei in Scripturis, omniumque hiſtoriis paſſim occurrunt exempla.

De Curioſitatis effectibus. VI.

1. Curioſitas levis videtur defectus, quem facilius, & accuſamus, & excuſamus: ſed ſimul eſt occaſio maximorum criminum, cui temere noſmetipſos objicimus.

2. Optimas quaslibet actiones corrumpit: hoc commune habet cum vana gloria, quod quantumvis laude ſit digna actio illa, quam ob alterutrum ex iis cauſis aggredimur, nullius meriti eſt coram Deo; immo ſæpe illius iracundiam provocat, & ſeveriſſima ejuſdem meretur ſupplicia.

3. Efficit, ut cor ſeſe effundens extrinſecus exhauriatur, & amittat quidquid virtutis, meriti, ac pietatis olim fortaſſe comparaverat.

Curioſitas cum ſit, vel effectus, vel cauſa diſſipationis ſpiritus, & effuſionis cordis noſtri in bona externa. VII.

1. Magnum obicem ſtatuit luminibus Cœli, interioribuſque gratiis, quibus Deus mentem fidelium illuſtrat, & cor illorum tangit, ut ſeſe colligant, & reſipiſcant.

2. Inſpirat habitualem nauſeam orationis, verbi divini, aliarumque ſanctarum exercitationum.

3. Deinde profundam immittit oblivionem, integram ſalutis negligentiam, & contemptum ſaluberrimarum admonitionum, quibus adeo nefarium vivendi genus poſſet redargui.

Curioſitas peculiariter duobus præceptis opponitur, quæ Dei Filius tradidit nobis ad vitæ noſtræ diſciplinam inſtituendam. VIII.

1. Ut indeſinenter nobiſmetipſis invigilemus ad evitandos omnes inimicorum laqueos, omnes paſſionum noſtrarum impetus, omneſque exteriorum objectorum illecebras. Verum præcepto huic quid magis opponitur, quam Curioſitas, quæ nos diſſipat, diſtrahitque, mentemque noſtram ad alia quæcumque traducit.

2. Præcepit Dominus illis, qui eum ſequi vellent, ut corde ſaltem, atque affectu terrena omnia abdicarent; At quodnam apertius indicium inveniri poteſt hæc nobis placere, hæc a nobis amari, nos mordicus adhærere pompis, voluptatibus, atque ſolatiis hujus mundi, quam Curioſitas, qua ad illa rapimur inquirenda, ad potiorem temporis noſtri partem in illis abſumendam?

IX. In Duplici ſermonis parte oſtendere poſſumus.

1. Curioſitatem, paſſionem eſſe inimicam quietis, cum animæ, tum corporis illius qui eadem poſſidetur. Sexcentas parit ſollicitudines, efficit, ut periculoſa, & longa ſuſcipiantur itinera, illud multis laboribus impedit, e quibus vix poſſit emergere, ac tandem conſcientiæ tumultus excitat, a quibus liberari non poteſt, niſi inquietam hanc paſſionem abjiciat, quæ omnem vitæ ſuę tranquillitatem perturbat. Adde his, Curioſitatem æque inſatiabilem eſſe, atque avaritiam, cujus ſpecies quædam videtur, numquam enim contenta eſt; de objecto migrat in objectum, & numquam dicit ſufficit: *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*. Eccl. 1.

2. Ut perfruamur pace, & tranquillitate, quæ potiſſimam vitæ hujus felicitatem conſtituit, Curioſitatem noſtram jugi mortificatione eſſe coercendam, quin hæc paſſio in omnem plerumque vitam producitur: jugi, inquam, mortificatione interiori, exteriorique deſideriorum omnium inordinatorum, omniumque ſenſuum noſtrorum, oculorum, aurium, aliorumque Curioſitatem excitantium, ac denique aſſidua in noſmetipſos vigilantia.

X. Hominum Curioſitas nullis cancellis arctatur, inter omnes extenditur, quæ non jure ejuſdem objecta, in præteritum, præſens, atque futurum, ex cujus cognitione voluptatem aliquam percipere poſſumus. Hoc argumentum, ni fallor, occaſionem tribuere poteſt concioni ad morum diſciplinam utiliſſimæ.

1. Circa præteritum: Curioſitas laudabilis eſſe poteſt, & utilis, cum circa eum finem verſetur, ut ex iis, quæ retroactis ſæculis acciderunt diſcat, quomodo impoſterum vitam ſuam regere debeat; occurrunt enim quamplurima facta, & exempla, quæ totidem præclara documenta ſuppeditant.

2. Circa futura: Noxia Curioſitas eſt ex Sydenum motu hominum fata, atque res ex illorum libertate pendentes intelligere velle; ſed ſuperſtitioſa atque deteſtabilis Curioſitas eſt eadem cognoſcere velle Dæmonum miniſterio per ſacrilegia, divinos, dæmoneſque conſulendo.

3. Circa præſentia, ſeu quæ generatim in Univerſo terrarum orbe fiunt, ſeu particulariter, quæ in alienis accidunt familiis &c. Hæc inquieta Curioſitas eſt nos diſtrahens, atque eam prohibens attentionem, qua nobiſmetipſis eſſet invigilandum.

XI. Vulgo Curioſitas in tres diſtinguitur ſpecies, quarum ſingulæ noxiæ ſunt, & ſaluti noſtræ afferunt detrimentum, idque propter tria objecta, quę eaſdem excitare conſueverunt.

Primum reſpicit divina, occulta providentiæ ſecreta, & myſteria, mentem, & captum noſtrum excedentia.

Alterum objectum ea ſunt, quæ infra nos ſunt; quæ videlicet digna non ſunt, ut illis animum advertamus, & quæ ubi mentem noſtram corruperint, cor ipſum corrumpere poſſunt.

Tertium denique ea ſunt, quæ circa nos accidunt; videlicet proximorum noſtrorum mores, & facta. Ubi oſtendere poſſumus.

1. Curioſitatem in iis, quæ ad fidem pertinent, ad ſecreta, atque myſteria, quæ Deus nobis detegere noluit, nos in periculum objicere, ut fidei jacturam faciamus, & divinæ Majeſtatis fulgore perſtringamur. Hoc fecerunt omnes Hæretici, qui credere noluerunt, quod non voluerunt intelligere.

2. Pro iis, quæ infra nos ſunt, intelligenda eſt mali cognitio, quod propter naturale ſtudium, atque propenſionem, qua in illud rapimur, concupiſcentiam magis irritat, noſque impellit, ut per experientiam id agnoſcamus, quod per ſtudium, atque ſpeculationem didicimus; & conſtat, quod indiſcreta curioſitate malum agnoſcere velle idem eſt ac ab eo perpetrando non abhorrere; & hoc illud eſt periculum, cui Curioſitas noſtra nos abjicit.

3. Neque minus periculoſa eſt earum rerum Curioſitas, quæ circa nos accidunt; videlicet curioſius aliena facta, moreſque inveſtigandi; hæc enim eſt peccatorum contra charitatem origo. Præbet enim occaſionem obtrectationibus, ſuſpicionibus, iniquis judiciis, & efficit, ne propriis attendamus officiis in id ſemper attenti, ut ſcrutemur, quomodo alii ſuis perfungantur.

Curioſitas magnum eſt ſalutis impedimentum. XII.

1. Ut adlaboremus, quemadmodum opus eſt in ſalutis noſtræ negotio, opus eſt, nos omnes nervos, omnemque operam contendere tamquam in maximo, atque præcipuo negotio; at nihil magis prohibet, ut ſerio id reputemus, quam Curioſitas, quæ mentem diſſipat, efficitque, ut illius recordationem penitus amittamus.

2. Ut ſalvemur, credere, & ſequi debemus æterna dogmata, quæ nobis a Fide traduntur, & quæ ab Evangelio ſalutis ſcientia vocatur: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus*. Curioſitas vero nos in errorem adducit, efficitque, ut in materia fidei de rebus omnibus ambigamus.

3. Ut ſalutem noſtram certam faciamus, in praxim redigenda ſunt chriſtianæ Religionis principia, humilitas, charitas, ſenſuum mortificatio &c. At nihil mores noſtros magis corrumpit, quam ipſa Curioſitas, quæ nihil aliud quærit, niſi ut expleatur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras elucubrandas.

SAnctus Auguſtinus *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 35. 37. fuſius Curioſitatis caracterem deſcribit.

Idem in Confeſſionibus ſæpe conqueritur de ſpiritus ſui diſſipatione, & Effuſione cordis in creata bona, quas Curioſitas in ipſo pepererat.

Idem *l.* 3. *Confeſſ. c.* 2. loquitur de Curioſitate, qua Theatrorum ſpectacula deperibat, & de ea parte, quam Auditores ſibi arrogant in funeſtis caſibus, quæ ibi repræſentantur.

Idem *lib. de moribus Eccleſiæ c.* 21. eorum vituperat Curioſitatem, qui Chriſtianas virtutes negligunt, ut rerum naturalium vacent cognitioni.

Idem *tractat. in Epiſt. Joannis* loquens de iis, quæ Salvator Dæmoni reſpondit ſuadenti, ut de ſummo Templi vertice ſeſe pręcipitem daret, oſtendit, improbam eſſe Curioſitatem extraordinaria de fidei noſtrę veritate petere argumenta.

Idem *lib.* 8. *de Civit. c.* 19. & *l.* 2. *de doctrina Chriſt. c.* 23. damnabilem corripit Curioſitatem, ex Dæmonibus futura, vel abdita cognoſcendi, vel per magiam, vel per vacuas ſuperſtitiones.

S. Hieronymus *Epiſt.* 146. *ad Damaſum* invehitur contra Sacerdotes, & Miniſtros Domini, qui Sacrorum librorum lectionem negligentes prophanis, curioſiſque ſcientiis vacant, & legunt parum honeſtos Poetas, alioſque id genus libros, qui periculoſi ſunt, eorumque ſtatum dedecent.

Idem *Epiſt.* 22. *ad Euſtochium* Virginibus Curioſorum librorum lecturam interdicit.

S. Gregorius *Homil.* 36. *in Evang.* oſtendit præcipuum hominis curioſi munus, maximumque ejuſdem peccatum eſſe alienam vitam ſcrutari, & ſuam negligere.

Idem *lib.* 12. *Moral c.* 23. & 24. oſtendit, quam periculoſum ſit ſeſe extrinſecus nimium effundere per inquietam Curioſitatem, qua Spiritus diſſipatur.

S. Chryſoſtomus *Exhortatione in c.* 11. *S. Matthæi* oſtendit, quam periculoſa Chriſtiano viro ſit ſpectacula videndi curioſitas.

Idem *in c.* 24. *S. Matthæi* acriter contra judiciariam aſtrologiam declamat; quippe quæ docet curioſa quædam, quæ pernicioſa ſunt, atque ipſi Deo contumelioſa.

S. Bernardus *in l. de modo bene vivendi, quam Sorori ſuæ inſcripſit. Serm.* 54. totus circa Curioſitatem verſatur.

Idem *tract. de gradibus humilitatis*, ubi ait primum ſuperbiæ gradum eſſe Curioſitatem, docet, quibus ſignis, atque indiciis curioſus valeat cognoſci.

Granatenſis *Tractatu de Oratione, & Meditatione c.* 2. § 7. oſtendit quantum devotioni Curioſitas obſit. Aſcetici aliique.

Idem *c.* 4. *tract. ejuſdem* §. 6. oſtendit inani curio-

rioſitate ea nequaquam eſſe quærenda, quæ ſupra nos ſunt.

P. Ludovicus a Ponte in Duce peccatorum tractatu de mortificatione &c. cap. 8.

P. Cauſſinus *in Aula ſancta tract.* 3. *de Affectibus* verba facit de Curioſitate, & malis, quæ in mundo producit.

P. Guillove in opere majori paſſim loquitur de vita diſſipata, de curioſitate, & ſenſuum mortificatione.

Quicumque ſcripſerunt contra ſpectacula, contra pravatorum librorum lectionem, contra ſæculi vanitates, hæc omnia mala accepta referunt curioſitate, Hos autem Auctores in iis titulis afferemus, ubi de his argumentis tractabimus.

Dandinus *in Ethicis ſacris l.* 2. *de fide* SS. Patrum auctoritate docet quam periculoſa ſit in materia fidei Curioſitas.

Joannes Vitalis *in Speculo Morali, tract. de rumoribus non audiendis, & rebus curioſis.*

Matthæus Faſianus *in Expoſit. 7. Peccat. Mortal.* loquitur de curioſitate.

Nicolaus Hanapus *in ſumma c.* 123. fuſius de curioſitate mundana differit.

Guillelmus Baldeſanus *l. contra intemperantiam cap.* 11. ubi agit de cuſtodia oculorum, uberius loquitur de curioſitate, cujus præcipua inſtrumenta ſunt oculi.

Thiers in libro, cui titulus de ludis, atque ſolatiis *c.* 9. oſtendit, curioſitatem inſpiciendi tabulas, ſtatuas, & laſciva ſpectacula, cum ab Evangelicæ diſciplinæ, tum ab Ethnicorum Philoſophorum, qui aliquam bonorum morum curam habuerunt, doctrina abhorrere. Plutarchus in Moralibus tractatum habet de Curioſitate.

His omnibus ſubnecti poſſunt Auctores illi, qui de ipſius collectione, receſſu, & chriſtiana vigilantia diſſeruerunt.

Concionatores nuperi.

Mathias Faber *in feſt. S. Joan. Apoſt. Conc.* 4. loquitur de quinque curioſitatis ſpeciebus, quę ſunt evitandæ.

Pater Duneau *ſerm. pro Dominica infra octavam Epiphaniæ*, oſtendit præclarum Doctrinæ, atque ſcientiarum uſum eſſe faciendum, & diligenter cavendum ab illis abuſibus, qui illic ſolent obrepere.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in Argumentis Particularibus ſermonem habet de curioſitate generatim.

Qui collectanea ediderunt.

Granatenſis in locis communibus V. *Curioſitas*.

Buſæus in Panario V. *Curioſitas*.

P. Theophilus Raynaudus *tom. de virtutibus lib.* 6. *ſect.* 2. *c.* 4.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Eccl. 3.

Quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Ibidem.

Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. Prov. 25.

In rebus ſupervacuis noli ſcrutari multipliciter ... non enim tibi neceſſarium, ea quæ ſunt abſcondita, videre oculis tuis. Eccli. 3.

Vani ſunt homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Sap. 13.

Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Eccl. 1.

Renunciavit cor meum, ultra laborare ſub ſole. Eccl. 2.

Annunciate nobis quæ ventura ſunt, & dicemus quod Dii eſtis vos. Iſ. 41.

Fili mi, ne in multis ſint actus tui. Eccli. 11.

Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis, cogitationes illius. Eccl. 33.

Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia. Sap. 4.

Væ qui cogitatis inutile? Mich. 2.

Telas aranearum texuerunt. Iſ. 59.

Filii hominum uſquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Pſ. 4.

Cum me convertiſſem ad univerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Eccl. 2.

Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum. Prov. 4.

Magiſter, volumus a te ſignum videre. Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei. Matth. 12.

Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 1.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima: porro unum eſt neceſſarium. Luc. 10.

Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam pervenientes, 2. ad Timoth. 3

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Pſ. 118.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes. Ib.

Ambulantes inquiete, nihil operantes, ſed curioſius agentes. 2. ad Theſſal. c. 3.

Adoleſcentiores viduas devita ...... otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet. 1. Ad Timoth. 5.

Qui ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid novi. Act. 17.

Noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Eccl. 9.

Propoſui in anima mea quærere, & inveſtigare ſapienter quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Eccle. 1.

Operam detis ut quieti ſitis, & negotium veſtrum agatis. 1. Ad Theſſal. c. 4.

Exempla ex Veteri, novoque Teſtamento deſumpta.

Curioſitas in uxore Adami punita.

Curioſitas eamdem fere cum mundo jactat antiquitatem, quandoquidem in primo protoparentum noſtrorum ſcelere non abfuit. Dæmon quidem ſub Serpentis imagine primum mulieri obtulit fructum; qui ne tangeretur, vetuerat Deus; illam invitavit, ut eodem veſceretur, pollicitus futurum, ut non mortem, quam Deus fuerat minitatus, ſed vitæ immortalis originem, ibi nanciſceretur, & præterea boni, malique cognitionem aſſequeretur, quę profecto ſatis ſuperque ad mulieris curioſitatem excitandam indonea videbantur. Cæterum non abhorret a fide, callidiſſimum Serpentem nihil reliquiſſe intentatum, ut fructus illius pulchritudinem, atque præſtantiam, ſuper cæteros, qui in eo voluptatis Paradiſo inveniebatur, commendaret. Nihil ulterius requirebatur, ut Eva impelleretur ad illius faciendum periculum quod tantam omni poſteritati attulit calamitatem. Ita jure dicere poſſumus primam tentationem, primamque malorum omnium mundi hujus originem extitiſſe curioſitatem.

Curioſitas in uxore Loth punita.

Uxor Loth ea levitate, quæ ſexui huic ſatis eſt communis, oblita eorum, quæ ſibi ab Angelis fuerant imperata, ne poſt tergum reſpiceret; cum credere minime poſſet curioſitatem hanc eminus intuendi Urbem Cœleſti flamma conflagrantem, vitæ ipſius detrimento luendam eſſe; ſe eadem corripi paſſa eſt, atque audiens rumorem, ſtridoremque flammarum permixtum eorum clamoribus, qui viventes ignibus abſumebantur, ſeſe convertit ſpectaculum illud intuitura. Sed hoc terroris ſpectaculum videre cupiens, ipſa facta eſt ſpectaculum formidabile: quippe illico immutata fuit in ſtatuam ſalis, quæ fuit tamquam monumentum æternum, quemadmodum inquit Scriptura, quo edocerentur homines, qui ſeſe objiciunt periculis propter indiſcretas curioſitates ſuas, ubi ſibi perſuadere non poſſunt perfunctorium oculorum conjectum, & levem curioſitatem frequenter eſſe poſſe magnorum malorum originem.

Bethſamitarum curioſitas ſevere punita.

Alterum quoque longe terribilius nobis tradidit exemplum Deus ea cæde, qua Bethſamitas percuſſit, eo quod curioſius Arcam fœderis fuiſſent intuiti, cum Philiſtiim eam remiſerunt poſtquam aliquot menſes eamdem in poteſtate ſua retinuiſſent. Quidam SS. Patres, plurimique Interpretes quærunt, quodnam adeo enorme ſcelus Bethſamitæ patrare potuerant, quo Deum cogerent adeo ſeverum exercere ſupplicium mortem inferendo quinquaginta millibus e plebe præter ſeptuaginta eorum, qui in populo magni nominis erant. *Eo quod vidiſſent Arcam Domini.* Quid? Numquid tantum ſcelus fuit oculorum aciem conjeciſſe in pretioſum hoc pignus divinæ protectionis? In Sacrum hoc depoſitum, a quo nationis illius felicitas pendebat? In Sanctuarium hoc, unde Dominus ſua præbebat oracula? Nonne dignum erat obtutu eorum ſpectaculum, videre Arcam illam, quam contra ſpem omnem feliciter adeo receperant? Nequaquam: ſcelus non erat eamdem reſpexiſſe, ſed illam curioſis oculis introſpexiſſe ablato, quemadmodum exiſtimatur, velo, quo cooperiebatur, ut diligentius viderent, atque perpenderent, quid in illa contineretur. Hac quidem in re defuit Bethſamitarum reverentia; hæc temeraria curioſitas fuit, quę tantum illis, ſed juſtiſſimum conflavit excidium.

Curioſitas Dinæ mali graviſſimi cauſa.

Licet curioſitas in ſcelus nequaquam impelleret, nonne ſæpe occaſionem tribuit peccandi? Teſtis eſto curioſa Dina. Sacer Textus tragicam deſcriptionem eorum nobis malorum tradit, quæ hæc mundana puella peperit profecta, ut Regionis illius, quo recens cum Jacob Patre ſuo pervenerat, videret mulieres. Rapta enim fuit, & Stuprum paſſa, quam contumeliam deinde fratres ipſius perſecuti ſunt, Civitatem omnem depopulati, omnibus illius Civibus internecione deletis.

Pœna curioſitatis David.

Quantam Davidi perniciem attulit oculorum conjectus nimium curioſus? Poſt maculatam vitę ſuę innocentiam nonne plurimis obnoxius fuit malis, quæ populum etiam univerſum in familiæ ſuæ calamitatibus involvit? Tunc non cogitabat ille hos funeſtos eventus, quorum intuitus iſte principium futurum erat, & cauſa: verumtamen ſua doctus fuit experientia, nulla eſſe mala, quæ Curioſitas ſecum non trahat. Hoc jam alia in occaſione cognoverat, cum curioſitate actus ſcire voluit imperii ſui robur, & quot milites armis ferendis pares conſcribere poſſet, ubi opus eſſet, Exercitum ſatis validum componere ad bellum, vel propulſandum, vel cuicumque hoſti inferendum. Explevit ille quidem curioſitatem ſuam, verum hæc illi graviſſimo ſtetit impendio; videlicet morte ſeptuaginta millium ex ſubditis ſuis, quos teterrima lues brevi abſtulit intervallo; & Rex ipſe, licet tanta ſanctitatis laude præſtaret, ſumma cum difficultate Dei lenivit iram, adeo vana curioſitate irritatam.

Curioſitas Reginæ Saba.

Verumtamen ex omnibus hiſce funeſtis exemplis, nequaquam inferendum eſt, quodlibet curioſitatis genus eſſe vituperandum, atque Dei ultionem mereri. Scriptura quidem probavit, laudibuſque extulit curioſitatem Reginæ Saba, cui cum mira nunciata fuiſſent de Salomonis ſapientia, innocenti acta curioſitate propriis intueri oculis concupivit, utrum ea, quæ ferebantur, ipſam veritatem excederent. Longum itaque ſuſcepit iter, ut ipſa fidele præberet ſibimetipſi teſtimonium; cumque admirata eſſet ordinem, qui Regiis ædibus ſervabatur, magnificentiam, qua illi miniſtrabatur, & Sapientiam, quæ in omnibus Regiis actionibus elucebat, tanto ſtupore perculſa fuit, ut extra ſe quodammodo rapta exclamaverit, rei veritate famam ipſam ſuperari, quæ licet omnia amplificare conſueverit, ad aures ipſius nequaquam attulerat potiorem earum rerum partem, quas ipſa ſuis oculis intuebatur. Culpa ſane caruit illius curioſitas; etenim ex remotis Regionibus illuc acceſſerat, ut ex Sapientiſſimi Regis exemplo perciperet, quomodo populum, imperiumque ſibi a Deo traditum regeret, atque tueretur.

Ipſe Salomon eam damnavit curioſitatem, cui ſeſe abdicerat.

Ad inanem, inutilemque curioſitatem damnandam, nihil gravius afferri poſſe reor, quam, quæ ſapiens ait ſecundo capite Eccleſiaſtici, ubi prolixam habet enumerationem omnium inanium occupationum, conatuum, laborumque omnium, quos impendit, ut inquietis, mobilibuſque deſideriis ſuis faceret ſatis; qua abſoluta ſincere confitetur in curioſitatis ſuæ objectis ſe nihil nactum fuiſſe præter vanitatem, laborem, cordis amaritudinem, atque male inſumptorum laborum pœnitentiam, quos omnes tandem abdicavit, ut magis ſeriis, majoriſque momenti negotiis vacaret; *Renunciavit cor meum ultra laborare ſub Sole.* Eccleſ. c. 2.

Novum Teſtamentum, non alia nobis hac in re ſuppeditat argumenta, quam ſapientiſſimas reſponſiones, quas Dei Filius reddidit illis, qui ab ipſo ea quæſiverunt, ſciſcitatique ſunt, quæ eo ſpectabant, ut inani interrogantium ſatisfieret curioſitati, & quorum cognitio, vel ad illorum eruditionem, vel ad ſalutem ipſorum utilis eſſe non poterat. En autem quid legimus in Evangelio. Primum quidem non æque, ſed aſpere excepit Judæos, prodigium aliquod ab ipſo videre cupientes: *Magiſter volumus a te ſignum videre.* Quemadmodum Spiritu Curioſitatis tantummodo agebantur, ut hanc miſſionis, & poteſtatis ipſius probationem expeterent, ita ille reſpondit; *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei.* Quærit illa quidem prodigium; ſed quandoquidem non aliud cupit, niſi inanem ſuam curioſitatem explere; illi nullum dabitur ſignum; neque enim fas eſt, ut divina poteſtas hac ratione illudatur. Secundo cum ductus fuit coram Herode, ad quem miſerat illum Pilatus. Enixius optaverat Princeps ille JESUM videre ſperans futurum, ut coram ſe miraculum aliquod operaretur: ſed hic Homo Deus, qui Supremam habebat in naturam omnem auctoritatem, ita ut ſatis eſſet proferre verbum, ut dicto illius omnia obtemperarent, poſſetque illi Principis hujus deſideriis indulgens evadere ex manibus & perſecutione illorum, qui in mortem ipſius conjuraverant, nequaquam dignatus eſt, vel ullum quidem proferre verbum, maluitque indignationem illius ſubire, atque traduci in ludibrium ſatellitum, ac miniſtrorum illius, quam mortem effugere ſceleſti hominis curioſitati ſatisfaciendo. Tertio eadem ferme ratione cum Pilato uſus eſt. Donec Romanus hic Judex illum interrogavit de criminibus, quæ ipſi ab inimicis ingerebantur, ſumma uſus reverentia reſpondit, ita ut Pilatus de Judice fieret ejuſdem Patronus, & apertiſſimum innocentiæ ipſius teſtimonium præberet. Cum vero alia ab eo quæſivit, quæ ad illius integritatem probandam minime pertinebant, altum ſervavit ſilentium, quod ſtuporem attulit eidem Pilato, a quo de eodem fuit exprobratus; verumtamen pati maluit Salvator, quam aliquid illius curioſitati permittere. Quarto eadem etiam ratione utebatur cum Apoſtolis ſuis, cum quibus familiariter verſabatur, & quibus nonnumquam maximi momenti arcana aperiebat. Cum enim eo privilegio, quod amicitia, qua illos dignabatur, ipſis conferebat, aliqua de re audebant illum interrogare, licet plerumque importunas, futileſque proponerent illi quæſtiones, eorum tamen patiebatur ignorantiam; immo patienter illos erudiebat: ſed acriter eos corripiebat cum curioſas quæſtiones proponerent, ex quibus nihil utilitatis percipere poterant; velut cum ex eo quæſiverunt, utrum Regnum Iſrael eſſet reſtituturus. Quid enim tunc Divinus ille Magiſter curioſis reſpondit Diſcipulis? *Non eſt veſtrum noſſe tempora, & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Vana curioſitas eſt ea ſcire velle, quæ ſaluti noſtræ non proſunt.

Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Sap. 13. Vani ſunt homines, hoc eſt oleum, operamque perdunt ea curioſius quærentes, quæ æternæ ipſorum felicitati non proſunt, niſi Deus primum fuerit perquiſitionum, & cognitionum eorumdem objectum. Reliqua omnia nihil ſunt aliud, quam curioſitas mera, & omnis ſcientia noſtra non aliud eſt, quam vana inquieti ſpiritus oblectatio, qui non meminit ſe in hac vita verſari, ut cognoſcat, & diligat Deum. Itaque quidquid ad nobilem hunc finem minime tendit, ſcientia, labor, negotium, occupatio, ſollicitudo, cujuſcumque generis ea ſit, a Chriſtiano haberi non debet, niſi inanis curioſitas, quæ ab unico, & vero fine noſtro divertit, ad quem omnes cogitationes, verba, auctores, deſideria, conſilia noſtra ſunt referenda.

Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Eccl. 1. Multitudo objectorum, in quæ celeri, feſtinaque curioſitate ſpiritus, ſenſuſque noſtri ſe effundunt; nos occupat, diſtrahit, diſſipat, & ab officiis noſtris avertit. Hoc proculdubio ſalutis noſtræ obſtaculum eſt; hæc enim aſſidua præſentibus rebus attentio nos detinet, neque ſinit, nos cogitare ſalutis noſtræ negotium, in quod curas omnes deberemus impendere. Profecto curioſitas hoc habet commune cum opum cupiditate, quod neutra non poteſt expleri; omnia ſemper videre vult, audire omnia; ſemper avida nova quædam detegendi, nihil intentatum relinquit, ut novas cognitiones acquirat, quę ſæpe non minus inutiles ſunt, quam opes, quas undequaque avarus congerit, & ex quibus nullum percipit fructum præter voluptatem eas poſſidendi. Tandem enim cui bono eſſe poteſt audire rumores omnes, qui accidunt, & quos curioſus avidiſſime conſectatur? Hæ temporum novitates, de quibus in craſtinam diem ſermonem differre non patitur? Narratio eorum omnium, quę in familiis, atque urbe tota aguntur, & tranſiguntur? Attamen omnia recipit, omnibus ſuppletur, & ſemper permanet vacuus; num-

numquam voti compos, ſemper inquietus, de objecto in objectum migrans, quin per tempus ulli eorum poſſit immorari: *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.*

Temeraria curioſitas eſt ſec eta Dei penetrare velle conſilia.

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Eccli. 3. Cave, ne inani mentis ſubtilitate ſcrutari velis myſteria, quæ perſpicaciſſimam rationem excedunt, vel quæ luminum naturalium vim, ac virtutem exuperant. Neceſſe non eſt, noſſe arcana, quæ Deus celare nos voluit; ea ſunt abyſſi tenebris involutę, neque ulli introſpiciendę. Itaque temeraria curioſitas eſt audere Providentiæ ſecreta rimari, ac velle Religionis myſteria detegere, & nimis ultra incomprehenſibilem divinæ Sapientiæ abyſſum penetrare, rationem ex eodem expetere Providentiæ ipſius, altitudinem judiciorum ejus inveſtigare, argumentari, atque diſceptare de iis, quæ in fide ſunt magis ſublimia, & humilem cordis noſtri ſubmiſſionem expoſcunt. Hic locum habet Sapientis Monitum; *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*

Niſi videro, non credam. Joann. 20. Hoc ajebat Thomas incredulus, reliquis Apoſtolis ſibi nunciantibus, quod Salvatorem a mortuis excitatum conſpexerant. Apoſtoli hujus curioſitas eo uſque proceſſit, ut manibus attrectare vellet vulnera, quibus JESU CHRISTI corpus fuerat confoſſum, digitoſque ſuos inferre foraminibus manuum, & lateris ut certo cognoſceret, eſſe vere corpus illud, quod iis vulneribus fuerat apertum: quod oſtendit, curioſitatem in iis, quæ ad Religionem pertinent, ut plurimum ad incredulitatem uſque procedere iis etiam in rebus, quæ apertiſſima ſunt. Hujuſmodi enim mortales curioſi ea tantum credunt quę ſuiſmet oculis intuentur, anileſque ſabulas putant alterius vitæ præmia; & ſupplicia, & ſacratiſſima noſtra myſteria illis incredibilia videntur. Vellent enim ea capere poſſe, ut crederent: ita, ut hæc temeraria curioſitas ut plurimum in Atheiſmum inducat, quo uſque niſi pervenitur, ſaltem ſibi Philoſophorum more Religionem comminiſcuntur, ea tantum credentes, quæ vident, vel quæ rationis ſuæ vi comprehendere poſſunt.

Curioſitas ſuffocat Dei gratias, divinique verbi fructum.

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres Cœli comederunt illud. Luc. 8. In ſeminis parabola, cum pars illius cecidiſſet ſecus viam, prætereuntium pedibus contrita fuit, & volucres comederunt illam. Parabolam hanc ipſe Dei Filius explicuit; & ſane belle oſtendit quid in anima diſſipata curioſitas efficere conſuevit. Poſtquam enim dixit JESUS, ſemen hoc, de quo loquebatur, Dei verbum eſſe, ſive interius, quod eſt gratia, ſive exterius, quod ex ore illud enunciantis prodit; addit magnam hujus ſeminis partem ſecus latam viam cadere, quæ nimis patet, & prætereuntibus, quorum pedibus teritur, & avibus Cœli, quæ illum auferunt; quod innuit cor ſeipſum per omnes ſenſus effundere. Hic enim effectus eſt curioſitatis; hæc eſt latæ viæ ſpecies; omnia prætergrediuntur, cogitationes, deſideria, affectus; imagines rerum, quæ videntur, & amantur. Sexcenta alias aliis ſibi ſuccedunt conſilia; perennis eſt æſtus; vix bona aliqua cogitatio concipitur, vel bonum verbum auditur, cum ſexcentæ aliæ cogitationes, ſexcentæque aliæ occupationes illud oblivioni tradunt; illudque auferunt aves Cœli: videlicet vaga deſideria, inaneſque curioſitates. Viatores pedibus obterunt divinum hoc ſemen, hoc eſt rumor, tumultus, ſocietates, quæ per curioſitatem quæruntur: hæc omnia ſemen illud convellunt cum jamjam eſt germinaturum, atque ex telluris ſinu prodicturum.

Annunciate nobis, quæ ventura ſunt & dicemus, quod Dii eſtis vos. Iſ. 41. Verum profecto eſt homini naturaliter inſitum eſſe deſiderium ſciendi: ex quo nonnulli rationem eliciunt ad probandam illius nobilitatem, atque ſimilitudinem cum divinitate, quæ omnia novit, & quam nihil fallere poteſt: ſed ſi malum intueamur, quod hoc deſiderium illi poteſt inferre, dicendum potius eſt, eſſe imitationem quamdam, vel quemadmodum loquitur Tertullianus, vitioſam divinitatis æmulationem, qualis fuit Protoparentum noſtrorum, quibus mendacii Pater ſpopondit futurum, ut diis ſimiles eſſent, eo quod bonum, & malum cognoſcerent. Ego vero libenter quamdam originalis peccati ſpeciem vocarem, vel quemadmodum alii cenſent, effectum amoris proprii rebus in omnibus uni ſibi ſatisfacere quærentis, cui cum minime ſufficiat præſertim cognoſcere, vult etiam ſcire futura, ut fiat ſpecies quædam mortalis divinitatis; *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum.* O fallacem divinitatis æmulationem! O infeliciſſimam Curioſitatem! In quam malorum abyſſum homines dediſti præcipites, quos ſæpe Dæmonibus ſimiles effeciſti pro ea ſimilitudine, quam cum Deo illis te comparaturam pollicebaris. O beatos oculos, qui omnibus hujuſmodi impiis, inanibus, & criminoſis abrenuntiant curioſitatibus, ut unice iis rationibus vacent, quibus impoſterum beatam ſibi procurare poſſint æternitatem! Si præterita noſſe cupimus ideo cupiamus, ut eorum, qui nos precęſſerunt exemplo intelligamus impiorum mala, & effectus divinæ ultionis, quos illi promeruere; atque, ut juſtorum exemplis conformemur, qui vixerunt ante nos, atque veſtigiis ſuis eas indigitarunt ſemitas, per quas ad æternam felicitatem poſſumus pervenire. Si optamus noſſe præſentia, exordium fiat a cognitione noſtrummetipſorum, quin curioſius alienos mores ſcrutemur; oculoſque claudamus tot rebus, quę nobis prodeſſe non poſſunt. Si cognoſceres, S. Bernardus ait, Terræ latitudinem, altitudinem Cœlorum, ac maris profunditatem, ignorares autem, quid fieret in te, ſine fundamento ædificares, & quodcumque extrueres, non aliud eſſet, quam congeſtus pulvis minimo venti flatu diſſipandus. Quod attinet ad futura, ne prevertamus illa cognitione curioſa; nobiſque ſufficiat ſapienti vitę ratione eiſdem proſpicere.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus argumenti.

Omnis anima curioſa indocta eſt. Aug. lib. de agone Chriſt. c. 4.

Curioſitas motus eſt animæ moriturae. Idem, l. 13 Confeſſ.

Curioſitas invenit hæreſim. Idem, tract. 97. in Joannem.

Omnis illa quæ appellatur curioſitas, nihil aliud quærit quam de rerum cognitione lætitiam. Idem, lib. de vera Relig. c. 45.

Curioſus eſt, qui ea requirit, quæ nihil ad ſe pertinent; ſtudioſus quæ ad ſe attinent requirit. Idem, lib. de utilitate credendi, c. 9.

In conſideratione creaturarum non eſt vana & peritura curioſitas exercenda, ſed gradus ad immortalia & ſemper permanentia faciendus. Idem, l. de vera relig. c. 29.

Volentes gaudere forinſecus facile evaneſcunt, & effunduntur in ea quæ videntur, & temporalia ſunt, & imagines rerum famelica cogitatione lambunt. Aug. l. 9. Conf. c. 4.

Curioſum genus hominum ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam. Idem, l. 10. Confeſſ.

Sunt quædam, quæ neſcire quam ſcire ſit melius. Idem, in Enchir. c. 17.

Si non prius a ſecretioribus cordis expellitur importuna ſæcularium multitudo curarum, anima, quæ intus jacet mortua, non reſurget. Gregor. lib. 18. Moral. c. 22.

Vox Dei non ſonat in foro, non auditur in publico; ſecretum concilium, ſecretum quærit auditum. Bernardus.

Frivola prorſus & inanis ac nugatoria eſt curioſitas; & neſcio quid durius illi imprecor, quam ut habeat quod requirit, & quo curioſa inquietudine delectatur. Idem, in floribus.

Sunt qui ſcire volunt tantum ut ſciant; & turpis curioſitas eſt. Idem, Serm. 36. in Cant.

Quo a te curioſe recedit? cui te interim committis? Idem, in tract. de Grad. humilit.

Dum anima a ſui circumſpectione torpeſcit, incuria ſui, curioſam ſe in alios facit. Idem, ibidem.

Tamdiu quiſque ſua peccata ignorat, quamdiu curioſe aliena conſiderat. Idem, de inter. domo, cap. 43.

Si ad te, o homo, vigilanter attendas, mirum eſt ſi ad aliud unquam attendas. Idem, de Grad. Humil.

Curioſus foras egreditur, & exterius omnia conſiderat, qui ſic interna non conſiderat, præterita non reſpicit, futura non proſpicit. Idem.

Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda; quæ autem manifeſta fecit, non ſunt negligenda: ne in illis illicite curioſi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. S. Proſper, de vocat. Gent.

Curioſitas reum facit, non peritum. Zeno Veronenſis.

Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt; cum tamen ſumma Philoſophiæ ſit, cognitio ſui. Hugo a S. Vict. l. de anima, c. 9.

Non eſt ſine periculo curioſius exquirere ea, quibus minus aſſuevimus; ſtultiſſimum autem omnino examini ſubjicere ea quæ mentem noſtram tranſcendunt, & tentare ea, quæ intelligere impoſſibile eſt. Cyrill. Alexand. l. de recta Fide.

Si porta oculorum bene munita fuerit, tota illa civitas cordis noſtri ab aſſultu vitiorum quieta erit. Hugo a S. Vict. in Pſalm. 13.

Gravis ac vehemens eſt proditor, oculus vagus, atque diſtractus. S. Ephrem. Parænesi 37.

Mens oculis, tamquam feneſtris utitur. Lactant. de opific. Dei.

Nihil in homine, cui curioſitas proſit, invenies. Bernard. de Converſ. ad Cler. c. 12.

Vanus labor, qui ſtudio vanitatis aſſumitur. Idem, ibidem.

Curioſitas, etſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt; & indicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ. Idem, ibidem.

Non conſideres mala quæ alii faciunt, ſed conſideres bona quæ tu facere debes. Idem, lib. de modo bene vivendi.

Tamdiu homo ignorat peccata ſua quæ debuerat flere, & cognoſcere, quamdiu aliena vitia exquirit curioſe. Idem, ibidem.

Facilius reprehendimus vitia uniuſcujuſque hominis, quam virtutes intendimus; nec quid boni quiſque fecerit agnoſcere cupimus, ſed quid mali egerit perſcrutamur. Idem, ibid.

Cave curioſitatem, omitte curas alienæ vitæ; nulla curioſitas animum tuum decipiat, ne tu oblita tuorum morum, alienos perquiras. Idem, ibidem.

Scire numquam deſideres quod ſcire non debes. Idem, ibid.

Scito pro certo quia curioſitas periculoſa præſumptio eſt. Idem, ibid.

Curioſitas damnoſa peritia eſt, ad hæreſim provocat, in fabulas ſacrilegas præcipitat mentem, in cauſis obſcuris reddit audaces, in rebus ignotis facit homines præcipites. Idem, ibid.

Cor laſciviendo perfluit, & per ſenſus carnis circumquaque ſe diffundens, nullatenus ad ſe redire ſufficit. Laurent. Juſtinian.

PARAGRAPHUS V.

Quid Theologia huic argumento ſuppeditare poſſit.

Quid ſit curioſitas & quid per illam ſit intelligendum.

Curioſitatis nomine vulgo intelligitur immoderatum, inordinatumque deſiderium ea videndi, & cognoſcendi, quæ ad nos minime ſpectant; inutilia, ineptaque, quæ a quacumque meliori occupatione animum diſtinent, diſtrahuntque, & tandem nos in ſcelus impellere poſſunt, vel mentem diſſipare, noſque ab officiis noſtris avertere.

Ut huic argumento lux accedat cum S. Auguſtino ſupponendum eſt, magnum intereſſe diſcrimen inter Curioſum, qui omnia ſcire deſiderat, & ſtudioſum, qui mentem ſcientiarum, artiumque cognitione cupit excolere; uterque enim ardentiſſimo ſciendi flagrat deſiderio. Curioſus enim, Pater ille ait, ea ſtudet inquirere, quorum cognitio ipſi minime prodeſt; qui vero ſtudiis vacat, ut doctus fiat, ad ea incumbit, quę ſibi ſunt neceſſaria, vel ut rite ſtatus ſui munere perfungatur, vel ut vitam ſuam inter homines inſtituere edoceatur.

Ex hoc diſcrimine perſpicuam, diſtinctamque Curioſitatis ideam, & notionem concipere poſſumus, quæ alioquin æquivoca eſt, atque in partem utramque poteſt inflecti. Eam vero hoc in loco, ex deteriori parte conſpicimus, tamquam animæ ægritudinem, quemadmodum Veteres nonnulli illam vocarunt; tamquam inquietum, ac periculoſum affectum, vel tamquam vitium, a quo nobis eſt diligentiſſime cavendum. Quamquam inficias ire non poſſumus, curioſitatem eſſe uti affectus reliquos; hoc eſt indifferentem; poteſt enim in bonum uſum converti, quippe quæ fundamentum eſt ſcientiarum omnium, & tunc ſolum eſt criminoſa, cum eos excedit limites, quos illis Deus, ratio, & natura præſcripſit.

Præcipua curioſitatis cauſa.

Liquido conſtat præcipuam curioſitatis cauſam eſſe immortificationem ſenſuum, quibus facultas relinquitur ſeſe in omnia objecta effundendi. Cum enim Spiritus noſter non agat, niſi per ſenſus, repletuſque ſit illis objectis, quæ ab iiſdem ſibi exhibentur; nihil aliud cogitat, ac deinde voluntas nihil aliud inquirit, niſi ut quę eidem accidunt perjucunda, procuret. Hinc curioſi hominis vita omnino extrinſecus effuſa eſt, ſuiſque ſenſibus obſequens. Verum quidem eſt, non ſemper eam omnem inveniri voluptatem, quę in exterioribus rebus inquiritur; tandem enim faſtidimus, atque fatigamur earum rerum oblectatione, quæ antea nobis quam maxime placebant; ſed per curioſitatem hanc nauſeam, faſtidiumque evitamus de objecto in objectum migrantes, & nulli immorantes, niſi donec ex eo voluptatem percipimus.

Curioſitas, quæ mentis diſſipationem, & integram cordis noſtri effuſionem parit in extrinſeca objecta, referri poteſt. 1. Ad acidiæ peccatum, quod ex ſeptem capitalibus eſt, quandoquidem ſignificat divinarum rerum nauſeam, & negligentiam in ſtatu, ac Religionis noſtræ muneribus exequendis; interim enim alteri cuicumque rei vacare malumus. Itaque, ſi per hanc curioſitatem Spiritus ita ſit diſſipatus, ut præceptum aliquod, vel aliquod ad ſalutem neceſſarium munus explere contemnat, palam innoteſcit mortale peccatum committi. 2. Curioſitas ad inertiam, & otium referri poteſt, cujus quædam eſt ſpecies non eo quod nihil omnino fiat, ſed quod inutilibus rebus vacamus, & oblectamur nugis, quæ a negotiis maximi momenti mentem noſtram avertunt.

Curioſitas efficit, ne orare aliiſque pietatis exercitiis vacare poſſimus.

Nemo ad Deum poteſt accedere, atque divinas illius communicationes percipere ſine precibus, & oratione, quæ earum quidam veluti rivulus eſt: eaque certiſſima veritas eſt, neque in dubium revocanda. Sed curioſitas, quę ex mentis diſſipatione, ac ſenſuum immortificatione proficiſcitur cum orationis conſuetudine ſimul eſſe non poteſt: ex hac enim mentis effuſione in exteriora objecta, ſenſus imagines eorum percipiunt, quibus illa repletur, & quas ſecum quocumque gerit. Hæ autem imagines ſeſe offerunt noſtræ imaginationi; ubi orationi vacare cupimus, nos turbant, diſtrahuntque, & quamdam veluti nubeculam Deum inter, & animam ſtatuunt, quæ prohibet, ne Dei lumina recipiamus, omnemque nobis aufert attentionem neceſſario huic ſanctæ exercitationi afferendam. Hæc ratio eſt, propter quam quicumque ad interiorem vitam, intimamque cum Deo converſationem adſpirant, in hoc potiſſimum adlaborant, ut creatas has imagines exuant, quas curioſitas, & mentis diſſipatio, in animo eorum producit, qui ſenſus ſuos cohibere non poſſunt. Hinc fit, ut ſi quando a ſeſe velint colligere, & orationi vacare, ſpiritus eorum pateat diſtractionibus, nauſeis, faſtidiiſque: quod non minimum ſane malum eſt ex plurimis, quæ curioſitas gignit.

Curioſitas, quæ mentis diſſipationem, & cordis effuſionem erga exteriora objecta ſignificat, quamprimum ex anima aufert ſenſus omnes pietatis, ac devotionis, quos ſanctiſſimorum myſteriorum cogitatio, Chriſtianarumque veritatum meditatio illi fortaſſis infuderat: mens enim nugis, ineptiſque oblectatiunculis occupata rebus ſeriis, cujuſmodi eæ ſunt, quæ ad ſalutem pertinent, vacare non poteſt, eadem ferme ratione qua oculi, qui cum terrenis hiſce rebus inhæreant defixi, nequeunt ſimul Cœleſtia contemplari. Cor quod nimis ſeſe extrinſecus effundit, ibi vires omnes exhaurit ſuas: creata quælibet Dei memoriam ciere deberent, ſed hæc plerumque efficiunt, ut illius obliviſcamur: Externa communicatio, niſi prudentiſſime adhibeatur, exhaurit animam bonis ſenſibus, quos fovebat, eamque prorſus oppoſitis replet. Hac de cauſa illam numquam optare debemus per Curioſitatem, & tunc etiam cum neceſſitas cogit, maxima ſemper eſt diligentia adhibenda. Ad hæc Aſceticorum omnium certiſſimum eſt axioma, Domino nequaquam placere animæ Curioſæ, inquietæ, & diſſipatæ agitationem; & uno ore docent ſpiritum ſeſe extrinſecus per oculos, aures, alioſque ſenſus effundentem ſimilem eſſe ciſternis illis, de quibus loquitur Jeremias, quę undequaque fatiſcentes aquas continere non valent. Gratię, quas Spiritus Sanctus infundit, bonæ cogitationes, ſanctæque effuſiones, illico defluunt. Ut cor Deo repleatur, creaturis omnibus exhauriendum eſt; id autem, qua ratione fieri poteſt, cum per curioſitatem illas avide conſectetur?

Curioſitas ex ingenito diſcendi ſtudio proficiſcitur.

Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat. Ita Philoſophus Metaphyſicorum libros orditur; & hanc veritatem probat ex amore, quo ſenſus noſtros proſequimur, quibus utimur ad ſcientię acquiſitionem, præſertim vero viſum, qui neceſſarius eſt non ſolum

ut agamus, verum etiam, ut agnoſcamus rerum varietatem, atque differentiam, licet cognitio hæc nequaquam ſit nobis profutura. Hoc ipſum de auditu dicere poſſumus, naturaliter enim Curioſi ſumus ea diſcendi, quæ ignoramus, licet non alium percipimus fructum, quam recentem alicujus rei cognitionem. Hic autem naturalis inſtinctus omnibus quidem hominibus communis eſt; ſed non par in omnibus, videmus enim paſſionem hanc in aliis eſſe ardentiorem, & quemadmodum ingens eſt varietas earum rerum, quę ſciri poſſunt, & non omnibus idem ingenium eſt, eademque ſtudia: hinc fit, ut libentius alii aliis artibus vacent. Addit his S. Auguſtinus animam noſtram nihil enixius optare, quam veritatis cognitionem: *Quid enim fortius deſiderat anima, quam veritatem?* Nihilominus cum veritates omnes ejuſdem naturę non ſint, & aliæ aliis ſint præſtantiores, eas majori affectione perquirimus, quas majori habemus in pretio. Quod ſi cognitiones, quas acquirere cupimus, utiles ſunt, ut digne ſtatus noſtri perfungamur officiis, ut recte vivamus, ut mentem excolamus, vel ut alium quemlibet honeſtum finem aſſequamur, hoc laudabile deſiderium eſt, & unum ex iis privilegiis, quibus homines præ cæteris animantibus perfruuntur. Cum vero inepta, atque inutilia, vel quę ad nos minime pertinent, ſcire cupimus, non alium ob finem, niſi ut ſecretam expleamus pruriginem audiendi, videndi, diſcendique ea, quæ ſcire nihil intereſt noſtra; tunc inanis curioſitas eſt a virtute, ac vera pietate longiſſime abhorrens. Sin autem ſciendi deſiderium eouſque procedat, ut divina, quæ ſunt ſuper noſtrum captum poſita, & quę nobis detegere noluit Deus, ſcrutari velimus, hæc eſt temeraria curioſitas, & perniċioſa præſumptio. Tandem vero cum noxiis diabolicisque artibus ea ſcire cupimus, quæ numquam cognoſcere deberemus; damnabilis eſt curioſitas, & eorum tantummodo propria, qui in hac etiam vita animas ſuas dæmoni devoverunt.

Si mentis humanæ curioſitas intra eos cancellos contineretur, ut rationes ſcrutari vellet, quæ omnem hominem debent impellere ad fidem amplectendam, qualia ſunt miracula, mundi converſio, ea ratio, qua peracta eſt, & unanimis Sapientum omnium conſenſus; hæc ſane curioſitas, quæ magnum adfert auxilium ad nos confirmandos in fide, nequaquam eſſe vituperanda. Sed longius ſuam curioſitatem producere, exquirere rationem eorum, quæ dixit Deus intelligere velle, cur Deus quædam permittat, & ſecreta providentiæ Conſilia, vel myſteria, quæ rationem noſtram exuperant ſcrutari velle: hoc profecto fidem noſtram ambiguam facit, atque labantem, & ſæpe etiam cauſa eſt, ut illius jacturam faciamus.

Quando curioſitas vitioſa ſit & reprehenſibilis.

Curioſitas, quæ ſenſibilium rerum cognitionem reſpicit, vitioſa eſſe poteſt, quemadmodum docet D. Thomas 2. 2. *q.* 167. *art.* 2. cum minime referatur ad aliquam utilitatem, vel cum prohibeat alterius rei cognitionem, quę nobis eſſet profutura, vel cum ad aliquod malum referatur, puta, ad alienas actiones ſcrutandas, ut inde arripiatur occaſio vituperandi alios, vel obtrectandi, vel contemnendi. Qua in re vitæ ſpiritualis Magiſtri docent, Curioſitatem generatim loquendo fontem eſſe tentationum, vulgatiſſimam temerariorum judiciorum, & obtrectationum cauſam, & virus optimas quaslibet actiones corrumpens: unde inferunt, interiorem mortificationem in coercenda curioſitate conſiſtere.

PARAGRAPHUS VI.

Decerpti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci.

CUm ſciendi cupiditas homini ſit inſita a natura, injuſtum profecto eſſet eamdem abſolute, & ſine ulla exceptione damnare; quamvis S. Thomas ipſius etiam veritatis perquiſitionem in rebus creatis condemnet, niſi pia animi conſideratione ad Creatorem referatur, & niſi tot mirabilium rerum intuitus oculos, menteſque noſtras perſtringentium ad id tendat, ut admirabilium operum Auctorem cognoſcamus. Mihi, fideles, nequaquam illud conſilium eſt, ut ad adeo ſublimem perfectionis apicem vos attollam, mundum vobis exhibens, veluti ſcholam, omniaque creata, tot veluti libros, qui nos erudire poſſunt Duce magno illo Magiſtro, qui illuminat omnem hominem, quemadmodum *Joannes c.* 1. loquitur. Illud tantum quæro, ut magnum obſtaculum auferam, quod in ſcientia ſalutis invenitur, in hoc poſitum quod inquieta curioſitate rapi nos patimur ad ſexcentarum rerum perquiſitionem, & cognitionem, quæ non ſolum prodeſſe non poſſunt, ſed quam maxime officiunt. *Ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta.*

Curioſitas mentem diſſipat, ac prohibet, ne ſalutis noſtræ negotio vacemus.

Quod curioſitas magnam mentis diſſipationem efficiat, eamque avertat, ne ad ea, quæ homini Chriſtiano ſunt neceſſaria, ſedulo incumbat magno ſalutis ſuæ negotio vacatura, profecto in dubium revocari nequaquam poſſe mihi videtur: quandoquidem hic proprius eſt ejuſdem effectus, qui etiam inanis Curioſitatis nomen eidem attribuit. Reor potius de hac inordinata cupiditate mentem ſuam replendi cognitionibus, quæ profuturæ non ſunt, dici poſſe, quod Apoſtolus inquit de inſatiabili divitiarum congerendarum cupiditate. Qui enim alterutra poſſidetur, iiſdem ſunt obnoxii periculis, & calamitatibus; *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem.* Quod quidem mea ſententia non eſt multum deflectere a vero, cum hæc S. Pauli verba de avaritia prolata ad curioſitatem, immodicumque omnia ſciendi deſiderium traducimus; quoniam hæc quoque ſpecies eſt avaritiæ, nihilo minus vel periculoſa, vel nocens. Utraque hæc paſſio fames, ſitis, deſiderium, inordinata cupiditas appellatur; ſed parabola æquior, & verborum S. Pauli applicatio aptior efficitur ab effectu utrique communi; utraque enim facit, ut in laqueum Diaboli decidamus, qui ut mentem noſtram avertat ab attentione, qua officiis noſtris vacare debemus, utque nobis curam auferat ejus negotii, quo nihil unquam nobis eſſe debet antiquius, hoc nobis immittit ſollicitum deſiderium diſcendi, cognoſcendique res vanas, atque inutiles, quod quidem curioſitas vulgo appellatur; ego vero cum Apoſtolo laqueum Diaboli voco, nobis multa ingerentis objecta, quibus animus noſter diſtrahitur, & quæ avidam, & inexaturabilem curioſitatem hanc explere non valeat: *deſideria multa.* Hoc non unum dumtaxat deſiderium inordinatum, ſed multiplex; cupiditas eſt nullis cancellis coercita; nam quemadmodum Sapiens *Eccleſ.* 1. ait: *non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Idem.*

Hominem curioſum, omniaque videndi, ſciendique cupidum; jure dicere poſſumus, numquam in ſeipſo inveniri; hæc enim curioſitas per omnia exteriora objecta illum circumagit, atque adeo raro ex inanibus occupationibus ſuis ſeipſum colligit, ut miraculi loco habeatur, ſi nonnumquam ad ſe revertatur. Hæc autem diſtracta, diſſipataque vita, eſt ne Chriſtiana? Eſſene poteſt via, qua ad noſtrum finem perveniamus? Haud ita profecto. Hæc impeditiſſima eſt viarum ambages, abſentia, vel potius evagatio, quæ nos in perniciem adducit. Heu! Fideles, quot hujus viæ mortales inveniuntur, qui per curioſitatem ea omnia, quę rara ſunt, & quę recentia conſectantur; qui vitam ſuam in jugi objectorum viciſſitudine tranſigunt; qui iis omnibus inhærent, quæ vident, & qui per ingenium æque mobile, ac curioſum nunc ea contemnunt, quæ olim feſtinanter conquiſiverunt; & quod perſequebantur, cum illud eminus tantum proſpicerent, nauſeam illis ciet jam poſſidentibus, atque commode eodem pro libidine perfruentibus. Vel dicamus potius iis ſimiles eſſe, qui accumbentes menſæ exquiſitiſſimis epulis refertiſſimę ſatietatem quamdam præſeferunt, qua faſtidientes omnia aliud pro alio reliquunt, ut ex ſingulis aliquid delibent; quæ non tantum fames eſt, quam curioſitas efficiens, ut per varia ferculorum genera manus circumferatur; itaut dicere poſſimus, illos ſola dapum multitudine ſaturari. *Idem.*

In Communi mundi hujus conſuetudine mens curioſa indeſinenter ſeſe effundit extrinſecus aliquod objectum, quod ſibi ſatisfaciat, inquirens; quod cum invenire minime poſſit, vaga curioſitate de uno tranſit in alterum, inceſſanter eligit, & mutat, & nihil naciſcitur, quo ſua vota repleantur; in nulla re conquieſcit, quia rebus omnibus fatigatur, & omnia faſtidit .... Hoc eſt curioſitatis ingenium, ſeries videlicet deſideriorum ſibimet invicem ſuccedentium.

Curioſitas pro objectorum varietate varia.

Cum hominum deſideria varia ſint pro varietate objectorum, circa quæ verſantur, ita curioſitas multiplex eſt. Alii quidem perdite ſcientias inquirunt,

bre-

brevi temporis intervallo integra devorant volumina, omneſque ſapientes, quæſtionibus, ac dubitationibus ſuis valent delaſſare; & ſimul ac liber aliquis in lucem prodiit, ſtatim eorum manibus teritur. Hæc ſane curioſitas redarguenda minime videretur, ſi eſſet ordinata, neque illis ſufficere poſſet earum rerum cognitio, quæ utiles ſunt, & neceſſarię; ſed cum illa ſit inquieta cupiditas, omnia ſciendi, diſcendive, cibus eſt indigeſtus, qui facilius obeſſe poterit, quam prodeſſe; & de illis, quibus ſtudiorum ſuorum non alius popoſitus finis eſt, quam ut expleant curioſitatem ſuam, dici poteſt, quod S. Paulus ait, ipſos quidem ſtudere indeſinenter, quin rerum ſcientiam aſſequantur, ſalutis videlicet ſuæ, æternæque felicitatis: *ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam pervenientes.* 2. ad Timoth. 3. *Idem.*

Quis neſcit, curioſitatem rebus omnibus iis etiam, quæ ad vitam ſunt maxime neceſſariæ, immiſceri? Indigemus alimentis, quibus nutriatur corpus, veſtimentis, quibus tegatur, domibus, quibus immoremur, varia pro variis uſibus ſupellectili, aliiſque ſexcentis ad vitæ commoditatem. Neceſſitas primum ſingula in ſimplicitate invenit; ſed curioſitas hoc habet commune cum cupiditate, quod omnia multiplicat, vel ſaltem efficit opulentiora, atque ornatiora, quin major ſit eorum neceſſitas. Hinc prodierunt mirabilis artis, atque naturę opera, quibus raritas ipſa pretium addit: hinc pretioſi lapides undequaque conquiſiti, hinc elegantes tabulæ, hinc antiquitatis pretioſæ reliquiæ, hinc nova Artificum adinventa, quæ ſtatim ac in lucem prodierunt, vel in ſciti alicujus viri muſæum, vel ad exornandam magni Principis aulam transferuntur. Hinc varii indumentorum modi, qui licet plerumque inepti ſint, propter novitatis gratiam nihilominus placent. Circa hæc curioſorum verſantur curæ; digna proculdubio Chriſtianis hominibus occupatio, quorum cor a terrenis omnibus divulſum eſſe debet, perdite ea omnia, quę rariſſima, & exquiſitiſſima ſunt ad inanem curioſitatem explendam conquirere! *Idem.*

Curioſitas ſpeciatim in veſtimentis.

Indumentis quidem carere non poteſtis tum honeſtatis gratia, tum ad temporum propulſandam injuriam: poſſetis hac in re tamen chriſtianam exercere modeſtiam, atque neceſſitati craſſiores panni ſufficerent, ſed curioſitas adverſatur, neque voti compos eſt, niſi pretioſiſſimi, atque elegantiſſimi ornatus acceſſerint, quos idcirco ex remotiſſimis regionibus accerſit. Si recens aliqua indumentorum ratio prodit; expectare non poſſumus, donec primum indumentum attritum ſit, ut novum comparetur. Sed quo uſque hac in re procedit curioſitas? Hoc noſtis, o Mulieres, quæ indumentorum, atque ornatuum amorem, ad extrema uſque producitis. Si dubitatis, utrum curioſitas iſta ſaluti veſtrę impedimento eſſe poſſit, dicere ſufficiat, hanc invexiſſe luxum, immodicos ſumptus, vanitatemque pomparum, quibus abrenunciare debuiſtis cum primum chriſtianæ Religioni dediſtis nomen, & quas deperire non poteſtis, quin Chriſtianorum ſpem abdicetis. *Idem.*

Quid dicam de ſupellectilibus, ubi curioſitas potiorem partem invenit, quam commoditas, & urbanitas? Quid cogitatis de conviviis, opipariſque Cœnis? nonne curioſitas cum intemperantia ſeſe in illis commiſcet? Epulæ, quæ rariſſimæ ſunt, nonne tamquam exquiſitiſſimæ afferuntur? Temporum fructus, & vina, quę noſtra fert Regio, ſemper minori habentur in pretio. Ut verbo me expediam, non famem tantum, ac ſitim, ſed ipſam curioſitatem explere concedimus. Quid de ſolatiis dicam? Ullane in ipſis voluptas percipitur, niſi ſatis fiat curioſitati, & niſi ea adſint omnia, quę nova ſunt, & quæ nonniſi novitate ſua poſſunt oblectationem afferre? Tandem vero nonne curioſitas affectus noſtros perturbare videtur? qua ipſa re nonne ſaluti noſtræ magnum obſtaculum injicit? *Idem.*

Curioſitas noſtræ ſaluti obſtaculum; & quomodo.

Curioſitas magnum injicit obſtaculum ſaluti noſtrę per eam mentis diſſipationem, quam parit multitudo objectorum, eventuum, ſpectaculorum, quibus deſtinetur, & a majoris momenti curis diſtrahitur. Diſtrahitur enim, & diſſipatur anima ſeſe effundens exterius, itaut in hoc ſtatu impar ſit omnibus pietatis exercitationibus, neque vacare poſſit ſui ſtatus, ſuæque Religionis officiis. Sancti omnes agnovere hanc ſpiritus diſſipationem, in quam curioſitas animam jacit, cum evagatur in tanta objectorum, quæ ſibi a mundo exhibentur, varietate. Itaque quicumque ſerio ſaluti ſuæ proſpicere voluerunt, initium duxerunt relinquendo ſodalitates, atque ſpectacula, & ea omnia quæ feſtinantius curioſitas quærit. Hæc enim omnia diſſipant vires neceſſarias illi, qui ſerio magno ſalutis ſuæ negotio vacare contendit. Curioſitatem hanc eſſe putarunt generale impedimentum cætera omnia quodammodo complectens, vel univerſalem quamdam paſſionem, quæ ad omnia objecta refertur, & quæ conſtituit tamquam partem aliquam cupiditatis iis omnibus inhærentis, quæ cor divellere poſſunt ab eo, quo unice poteſt repleri. *Idem.*

Curioſitas non ſolum fons eſt plurimorum deſideriorum, quę ab Apoſtolo *deſideria multa, & inutilia vocantur*; verum etiam otioſæ cujuſdam inertiæ, quæ in aliquid ſerium, & chriſtiano viro dignum nequit incumbere. His adnumero eos omnes, qui rerum, quæ recenter accidunt, & quæ apud alios populos fiunt, ſunt curioſi, & qui omnia temporum, omniaque Principum conſilia ſcire volunt, & quaſi omnia prorſus Reipublicæ negotia ſibi explorata eſſent, atque comperta, Politicorum more diſceptant, & quid factum, quidque faciendum ſit conjectando aſſequi ſtudent. Alios intentos video omnibus rumoribus, qui circumferuntur, & qui ſæpe falſo proferuntur, ut inanis hæc alatur curioſitas, quæ vera ęque, ac non vera indiſcriminatim arripit, & quæ paſcitur, imaginarias fovens ideas præliorum, obſidionum, & conſiliorum, quæ jamjam ſint proditura. Alii vero, quibus ſatis non eſt ea noſſe, quæ tam procul fiunt, privatorum domos ingrediuntur, ut diligentiſſime familiarum omnium calleant negotia, bona, affinitates, lites, diſſenſiones. Alii denique, quibus nullum eſt negotium, omne tranſigunt tempus viſitationibus ultro citroque recipiendis, reddendiſque, venditando quæcumque ſciunt, & inquirendo quæcumque fiunt, atque dicuntur. Alii demum curioſiores oculis ſuis ea intueri volunt, quæ legerunt; quamobrem longa aggrediuntur itinera, de Regno in Regnum migrant, Urbes, atque inſignes ſubſtrutiones admiraturi; atque ut mentem æque, ac oculos expleant, diſcere geſtiunt mores, divitias, vires, & quæcumque rara ſunt omnibus in terris, eaque conſectantur omnia, quæ nullius eſſe poſſunt utilitatis, & quæ alienam tantummodo fatigant curioſitatem, cum illa ſubinde importune, opportuneque in omni cœtu enarrantur. Hæc ſane cum Apoſtolo vocari poteſt vana curioſitas ea ſciendi, quæ ad nos minime pertinent, omnem diſſipans attentionem iis rebus impendendam, quæ nos propius attingunt, & quæ noſtræ virtuti, & ſanctitati conferre aliquid poſſunt. *Idem.*

Mala, quæ curioſitas parit.

Numquid opus eſt, Auditores, hoc in loco illa exhibere mala, quæ curioſitas parit? Sufficiat potius affirmare omnia terrarum mala non aliud initium ſortita fuiſſe in ipſo ſæculorum primordio, quemadmodum in Protoparentum noſtrorum exemplo proſpeximus. Verum quin altius ea repetamus tempora; ſexcenta ſunt quæ ignorare operæ pretium eſt, quorum perquiſitio quietem noſtram perturbat, & quorum cognitio nos ad alienam perturbandam impellit. Qui curioſe nimis ea ſcire geſtit, quæ de ſeipſo dicuntur, nonne plerumque odium, atque vindictam concipit contra eos, a quibus eo non habetur in pretio, quod ſe mereri putat, vel contra eos, quibus ſententia ſua incautius ore elapſa eſt? Qui aliena penetrare conatur conſilia, nonne ſibi parit inimicitias, ſibique moleſta conflat negotia? Qui vero nimis ſcrutari vult ea ipſa, quę ad ſe ſpectant, nonne paſſim mœroris cauſas deprehendit? Inordinatum hoc quæcumque ſciendi deſiderium nonne ſæpe occaſionem præbet iis rebus, quarum effectus prævidere non poſſumus: ſed qui efficiunt, ut earum pretium pro inani curioſitate ſolvamus? *Idem.*

Dum Sapiens monet, ne ea ſcrutemur, quæ captum noſtrum exuperant, facile judicare poſſumus ab eo ſcientiam nequaquam damnari; quandoquidem hanc ille divinitus acceperat, & hac mortalibus cæteris antecellebat: immo neque ſecretorum naturæ cognitionem; quandoquidem mentis ſuę perſpicacitate plantarum omnium ab Hyſſopo ad Cedros Libani, virtutes cognoverat, eique natura omnes Theſauros ſuos aperuiſſe videbatur. Immo neque temeritatis, vel præſumptionis nomine ſupernaturalium veritatum perquiſitionem inſimulat, quarum cognitio neceſſaria eſt ut æternam felicitatem aſſequamur; quandoquidem JESUS CHRISTUS, in quo omnes ſcientiæ, ac ſapientiæ Theſauri continebantur, de Cœlo in terram deſcendit, ut de il-

lis

lis nos erudiret. Pro curioſitate igitur, cui Sapiens non vult ſeſe homines tradere, intelligenda profecto eſt præſumptio ſecreta providentiæ ſcrutandi, Religionis myſteria detegendi, abyſſum conſiliorum Dei, ut loquitur Propheta, penetrandi, inveſtigandi altitudinem judiciorum ejus, & de iis diſceptandi, quæ in Religione noſtra magis ſunt a captu noſtro ſepoſita. *Altiora te ne quæſieris.* Eccli. 3. *Idem.*

Curioſitas magnum fidei obſtaculum.

Curioſitas in iis, quæ ad fidem pertinent, ſemper habita fuit tamquam magnum Chriſtianæ Religionis obſtaculum, quia plerumque curioſos in errorem, vel hæreſim impellit. Hæc olim Philoſophos quoſdam deterruit, ne illam amplecterentur, & hodierna quoque die cauſa eſt, propter quam illam abdicent mente ſaltem, & corde fideles quamplurimi, id tantum credere volentes, quod concipere poſſunt. Hæc ratio eſt propter quam tot mortales intuemur, *Qui circumferuntur omni vento doctrinæ*, qui res novas amant, ipſas etiam, quę ſuſpicioni, & periculo ſunt magis obnoxiæ. At mirumne; cum curioſitas ſit errorum omnium, omnium hæreſum, quæ ſæculis omnibus inſurrexerunt principium? Nova enim opinio ſtatim ac in mentem aliquam pervaſit in fidei principiis laborantem, ſtatim propter ſuperbiam tamquam felix adinventum reſpicitur; curioſitas deinde alios æque nabentes impellit, ut errorem illum perdiſcant; ubi cum aliquam veritatis ſpeciem deprehendant, qua falluntur, ſtatim pertinaciter tuentur eas ſententias, in quas ex mera curioſitate impegerunt. Hac ratione errores omnes invaluerunt. Eos novitas curioſis ingeniis commendavit, quæ fallaci ſpecie decepta fuerunt: eorumque curioſitas funeſtos peperit lapſus, qui poſt ſe infinitos pertraxere, atque in maximis etiam Regnis religionis inverſionem peperere. *Idem.*

Curioſitates damnabiles, & omnino vetitæ.

Quemadmodum quædam ſunt, quæ ad humanam curioſitatem non pertinent, quædam etiam ſcientiæ, & cognitiones ſunt eidem interdictæ: ideoque rationes omnes, quæ adhibentur, ut illuc perveniatur, criminoſæ ſunt, atque deteſtabiles. Hujuſmodi ſunt ſuperſtitioſæ artes divinandi, futura prænoſcendi, vel prædicendi effectus, nullum nexum, aut rationem habentes cum cauſis, vel iis adminiculis, quæ adhibentur; præſtigia, veneficia, ſortilegia, artes omnes diabolicæ, & effectus, qui cum ex naturali principio nequeant proficiſci, homines curioſitate adacti fuerunt, ut id aſſecuturi cum dæmonibus inirent neceſſitudinem. Hujuſmodi curioſitates magna ſunt ſcelera; nemo diffitetur. Scriptura illas cum ipſorum Auctoribus deteſtatur; divinæ humanæque leges eas puniunt, perinde ac Dei ipſius jura, & poteſtatem ſibi arrogare contendant; verumtamen huc uſque ſæpe homines curioſitas rapit, ut a Dæmone diſcant, quod humani ſpiritus acumen celare Deus voluit. *Idem.*

Inter noxias curioſitates, nequaquam adnumero Aſtrologiæ ſcientiam, dummodo inter præſcriptos ſibi cancellos contineatur. Stude, ſi tibi lubet, Cœlorum motum, ſyderumque curſum; metire, ſi vales, eorum magnitudinem, diſtantiam, altitudinem; portende Eclypſes, temporum mutationes; de cometis, aliiſque Phænomenis, quæ per intervalla videntur, diſſere; nova inſtrumentorum genera excogita, ut Solis maculas intuearis, & ea deprehendas, quæ præterita ſæcula ignorarunt. Verum hæc ſibi ſufficiant; nihil molire contra hominum libertatem; ne jactes in Syderibus, quæ eorum nativitati præfuerunt, eorumdem fata perlegere, noli invehere in mundum cęcam fatalitatem, quam chriſtiana Religio ſemper perhorruit, hęc enim curioſitas futura cognoſcendi, quæ a libertate unice pendet, non ſolum in magna deducit ſcelera; ſed ipſa maximum ſcelus eſt. *Idem.*

Curioſitas ſæpe mortales in graviſſima ſcelera impulit.

Ita eſt; proculdubio curioſitas hominibus maximorum fuit ſcelerum cauſa, eique accepta referenda ſunt adulteria, & homicidia, quorum in ſacra, prophanaque hiſtoria ſexcenta ſuperſunt exempla; & Rerumplublicarum, Imperiorumque pernicies in extremam uſque poſteritatem hanc memoriam traducet. Hæc non ſolum hęreticos peperit, & Hæreſiarchas; quemadmodum jam dictum eſt: ſed etiam impios inſignes, veluti Julianum Apoſtatam, & quoſdam Philoſophos ęvi ejuſdem, quos curioſitas ad extrema uſque crudelitatis ſcelera pertulit hominum viventium corpora diſſecantes, ut maxime intimarum partium, ordinem, ſitumque, extremoſque cordis motus intuerentur. Quid dicam de ſæviſſimis experimentis, quæ tentavit curioſitas, matrum fœtarum abſcindens ſinum, ut concluſos ibi parvulos introſpicerent? Verum miſſa faciamus hæc nefanda ſcelera, quorum conſuetudinem chriſtiana Religio delevit; Sed quæ ſæpius Curioſitas revocavit, poſtquam e fidelibus Religionis profugos fecit, qui fidei myſteria intelligere deſperantes, nihil intentatum relinquerunt, ut naturæ ſaltem myſteria detegerent. *Idem.*

Neque pręterire poſſum eam calamitatem, quam in caput ſuum retorquent quamplurimi, qui, licet Eccleſiá apertiſſime vetet, Canones intentent ſupplicia, naturale præceptum prohibeat, ne peccandi occaſioni ſeſe abjiciant, & licet civiles omnes Eccleſiaſticęque leges interdicant; licentiam ſibi arrogant cujuſcumque generis libros legendi, quorum alii ſenſus fidei, & Religioni contrarios inſpirant, alii vero in vitium, morumque corruptionem inducunt. Non deſunt, qui aperte vivendi licentiam ſuadeant: alii id ſenſim efficere ſtudent mollientes animum iis affectibus, qui maxime ſunt periculoſi; alii denique, ubi ſcelus perſonatum eſt, & ſententiæ Chriſtianæ Religioni prorſus appoſitæ ea arte exornantur, ut facile quilibet eas guſtare deſideret. Unus Dei timor, atque ſalutis negotium effrænem hanc licentiam compeſcere poteſt. Animadvertite fideles inter nefarios hos libros non deeſſe, qui mentem corrumpant; videlicet, qui per impreſſionem, quam lectura facit, ſenſus inſpirent oppoſitos vel pietati; vel fidei pro varietate argumentorum, de quibus agitur; quod ſi inutiles tantummodo ſenſus contineant, ſaltem diſſipant mentem, ibique ſaluberrimas ſuffocant cogitationes, traducentes illam ad inanes oblectatiunculas, nugaſque, rationabili, & chriſtiano homine indignas. Alios etiam adeſſe diximus, qui in vitium, atque licentiam impellunt, & hujus generis libri quo elegantius conſcripti ſunt, eo jucundiores accidunt, & bonis moribus corrumpendis aptiores ſunt. Itaque cum mentis corruptio, ac vitæ noſtræ ſcelus, duo ſint effectus magis metuendi, magiſque certi librorum nequam, ſi ſalus noſtra cordi nobis eſt curioſitatem hanc frenare debemus. *Idem.*

De ſpectaculorum curioſitate.

Quantumvis magnum illud ſit bonum, quo a natura donati fuimus, quæ facultatem impertit omnia vivendi objecta, quæ oculos noſtros perſtringunt, neſcio utrum maxima fidelium pars deberet hodie eandem orationem effundere Deo, quam Regius Propheta Pſ. 118. effundebat: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Averte, Domine, oculos meos ab iis ſpectaculis, quæ propter cupiditatem explendæ curioſitatis meæ tantopere quæro, & in quibus vanitas, pompa, magnificentia, & quidquid in mundo majores habet illecebras, nitidiori in luce refulget. Quid enim ibi videtur niſi objecta, quæ nos ſeducere poſſunt. Nonne periculoſa curioſitas eſt ad ea cum affectu, & ne dicam, cum furore, confluere, quemadmodum plurimi ad illa concurrunt? Spectacula hujuſmodi ſi omnino criminoſa non ſunt, dici tamen poteſt, fere ſemper eſſe periculoſa; quandoquidem vanitatis amorem inſpirant, & quemadmodum S. Bernardus inquit, ea non licet videre, quæ cupere minime licet. Cæterum pleraque id genus ſpectacula oppoſita ſunt ſpiritui Religionis Chriſtianæ, & profeſſioni, qua ſolemniter polliciti ſumus, nos pompas hujus mundi abdicaturos. Harum autem rerum curioſitatem oſtendere nonne eſt palam ad eaſdem reverti? Ita profecto; atque olim nota hæc erat Apoſtaſiæ a fide, & religione, quemadmodum diſertiſſimus Salvianus affirmat: *Eſt quædam in ſpectaculis Apoſtatio fidei. Idem in Sermone de ſpectaculis.*

In mundi hujus vulgari Conſuetudine curioſitas efficit, ut anima ſeſe effundat extrinſecus, & diſſipetur; atque hinc accidit, quod pietatis exercitiis ſit impar, ſolidiſque, & interioribus rebus vacare nullatenus valeat. Agnovit quidem S. Auguſtinus hanc animæ diviſionem, & diſſipationem, quæ fit, quin ipſa illa percipiat; cum nimia curioſitate ſemet effundit in varia objecta, quæ ſibi a mundo exhibentur. Cum enim cupiditas magnam habeat ad hæc objecta rationem, efficit, ut anima mirabili activitate ſeſe illis communicet, atque conjungat, quin ſequatur Deum, eique unice adhæreat. *Liber cui titulus, Solitudo Chriſtiana.*

Quocumque in ſtatu vivamus, magnam ſemper erga ſenſibilia bona propenſionem habemus: mens noſtra illis repletur, & cor noſtrum in illas ſe effundit, niſi curioſitatem coerceamus, oculos, linguam, ſenſuſque omnes regamus; hi enim ſunt fontes malorum eorum; quæ veneno animas noſtras

ſtras inficiunt. Quidam deſerit mundum, vitamque ſolitariam vivere ſtatuit: ſuæ illum ſequuntur ideæ in ipſam ſolitudinem, & niſi aditum intercluſerit variis objectis, quæ ſuos ſenſus officiunt, hæc iterum pręvalebunt; illius imaginatio multiplici phantaſmate replebitur; mens cogitationes inanes fovebit; cor incompoſitos motus, & mala deſideria producet, ita ut ſeipſum diſſipatum, inquietum, & in ipſo portu agitatum inveniat, perinde ac ſi tempeſtate ageretur adhuc; & curioſitas efficiet; ut mente, animoque revertatur in mundum; quem corpore tenus reliquit. *Abbas Trappenſis in explicatione regulæ S. Bened. tom. 1.*

Cum Viatores magnum arripiunt iter (hæc eſt S. Chyſoſt. ſimilitudo) varia, quæ intuentur objecta, fluentia flumina, virentia nemora, ridentia prata, ita jucunde eorum alliciunt oculos, ut omnino ſint diſſipati. Hoc ipſum in hac vita accidit ſectatoribus Mundi: quæcumque res illos morantur, & detinent; omnia videre cupiunt, audire volunt, quidquid dicitur; & attenti ſunt omnibus, quæcumque fiunt, Rumores, qui percrebreſcunt, eventus, qui accidunt, negotia, quæ tractantur, ſermones, qui habentur, omnia illos occupant, omnibuſque illi replentur. Quomodonam ſalutaria monita, quæ illis traduntur, & verbum Dei, quod audiunt nonnumquam, aliquam in ipſis impreſſionem efficere poſſunt, cum deſit attentio, qua per curioſitatem uti minime poſſunt? Hoc ſemen eſt quod teritur pedibus, quemadmodum loquitur Evangelium, hoc verbum eſt, quod corporeis tantum auribus auditur; ſed cordis aures illi obſtruuntur; vel ſi verbum illuc ingreditur, longius tamen non procedit; ac ſtatim Diabolus adeſt, ut hoc vitæ ſemen evellat, ne credatur ab audientibus, vel exerceatur a credentibus, & illud exercentes minime ſalutem conſequantur. *Joly propoſitione pro Dominica Sexageſimæ.*

Curioſitas Dei communicationes in animæ noſtra impedit.

Si ipſum viris bonis colloquium prohibet ſæpe divinas communicationes; quomodonam mundanæ converſationes, quas curioſitas tantopere deperit, eas non prohibebunt? Verba quæ audiuntur, objectorum imagines, quæ ſeſe offerunt, ſolatia, quæ nos detinent, diſſipantque, nonne mentem noſtram penitus occupant? Ita ſane, ut cum noſmet colligere cupimus, & in Deum cogitationes noſtras transferre, turba cogitationum, quas mens ipſa revocat, ſeipſam confundens, animum noſtrum perturbet & animam ita perturbatam Deus pati non poſſit.

In quibuſdam perſonis jugem videmus diſſipationem, miram cordis, mentiſque evagationem, propter quam indiſcriminatim ſeſe in omnia effundunt objectorum genera, inania, inepta, periculoſa, & ſæpe etiam noxia, nullam ſibimetipſis vim inferentes, ut ſenſuum, imaginationis, mentis, & cordis evagationem prohibeant. Nil tam metuunt, quam ne ſeſe colligere teneantur, ut cordis ſui motibus invigilent, ut omnia flagitia, atque impedimenta ſuæ conſcientiæ cognoſcant. Immo eorumdem ignorantiam adfectant, ne illis mederi cogantur. Id unum denique inquirunt quomodo a ſeipſis parum jucundas cogitationes avertant, atque ſibimetipſis ſtuporem injiciant, ne exprobrantis conſcientiæ ſuæ importunos ſtimulos audiant. *P. Nepveu tom. 2. Conſiderationum Chriſtian.*

Naturaliter ad mentis diſſipationem ferimur.

Naturaliter ad mentis diſſipationem proclives ſumus, non minori cura mentis noſtræ, quam noſtri cordis libertatem quærentes. Quamdam captivitatis ſpeciem putamus cogitationum noſtrarum collectionem, quæ curioſitatem expellit, atque cordi aufert hanc libertatem, qua gaudet per univerſa diſcurrendi, & ſeſe in cujuslibet generis objecta effundendi. Vanitas nihil minus confert huic diſſipationi, quam curioſitas; Si enim, quin ita noſmet effunderemus ſæpius noſmet colligeremus; in nobis ſane plurimas infirmitates defectuſque intueremur, qui quidem ſuperbiam noſtram nequaquam palparent. Ideo quantum poſſumus avertimus oculos ab hujuſmodi objectis parum adeo jucundis. Voluptas denique cum vanitate conjungitur, eaque recens eſt illecebra curioſitati, quæ jucunda quidem appetit, moleſta vero faſtidit.

Quemadmodum inconſtantia verus eſt cordis noſtri caracter, & ſingula momenta, quibus noſtra deficit attentio, & vigilantia, varias impreſſiones efficiunt, quæ ægre abraduntur; dici etiam poteſt ab hac inconſtantia gigni curioſitatem, & alteram ex altera conſequi neceſſario; quamobrem tantus ſit deſideriorum concurſus cor ipſum diſſipantium, ut illud revocare, eique dominari, impoſterum nequeamus. Cogitationes noſtræ, deſideria, factaque in ipſa multitudine confunduntur, & cor noſtrum pro nobis ſit veluti abyſſus, cujus vis ipſam ſuperficiem agnoſcere poſſumus. Næ igitur vehementer errant, qui poſt vitam diſſipatam, atque ſæcularibus rebus inanibuſque objectis vacantem ſe facile colligere, & reſipiſcere ſperant. *Sermo Manuſc.*

Anima noſtra eſt velut aqua, quæ ubi tubulis contineatur, ſurſum attollitur, quia ad tantum aſcendit altitudinis, quanta eſt fontis, unde effluxit, altitudo; verum ubi vagari permittatur, in agros libere effuſa diſperditur. Ita ſpiritus noſter curioſitate diſſipatus, inutilium verborum, quæ effutiuntur, atque audiuntur, multitudine, & objectorum, quæ oculis accidunt, varietate, in hæc exteriora, objectaque effunditur, tamquam in totidem rivulos, neque ſeſe inde colligere poteſt, ut ſua cognoſcat officia. Hoc in ſtatu ſeſe objicit anima hoſtium ſuorum telis, qui undequaque, qua vi aperta, qua inſidiis illam oppugnant, nullo ſatellite, qui eam tueatur, & protegat circumſeptam. Hac de cauſa Sapiens ait, hominem, qui ſeſe continere nequit, ne loquatur, oppido ſimilem eſſe, quod undique hoſtilibus aggreſſionibus pateat, non mœnibus, non vallo munitum. *Ex ſolitarii cujuſdam Epiſtolis; Epiſtola prima.*

Fieri ferme non poteſt, ut in mundi commercio, præ curioſitate non diſſipemur.

Quomodonam quotidie mundi hujus negotiis intereſſe poſſumus, quin noſmetipſos diſſipemus, & corrumpamus? Quomodonam inceſſanter obluctari contra vim plurimorum objectorum, quæ ſeſe nobis offerunt catervatim, quæ nos circumundique obſident, quæ indeſinenter conantur, ut per ſenſus in animam irruant? Quomodonam neque perſtringere, neque concutere nos poterit divitiarum fulgor, illecebrę faſtus, atque magnificentia mundanarum rerum, quæ jugiter oculis noſtris collucent, ut nos ſuis promiſſionibus alliciant, ſpectaculis detineant, & jucundo phantaſmate faſcinent? Quomodo fieri poteſt, ut exemplorum atque conſuetudinis torrens nos non rapiat? Numquid ſemper obniti poſſumus contra eas ſententias, & uſus, qui ſuaviſſimis cordis noſtri affectionibus favent, & obluctari contra objecta, quæ per curioſitatem enixius conquirimus? *In Collectione orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum.*

Nulla re magis ſpiritus noſter diſſipatur, quam cum iis immiſcetur, quæ ad alios pertinent. Hac tamen in re nos magis curioſitas tentat, & S. Auguſtinus animadvertit nos naturaliter æque in alienis negotiis eſſe curioſos, ac negligentes, & inertes in noſtris. Ex omnibus Creatarum rerum imaginibus, quæ in anima noſtra imprimuntur, nullis magis occupamur, quam imaginibus eorum, cum quibus verſamur, & quos cognoſcimus, & proprie ſolitarius eſt, qui alios homines non intuetur. Quamobrem anima quæ ſerio officiis ſuis, propriæ cognitioni, ſalutiſque ſuæ negotio vacare vult, juxta ſanctorum omnium conſilium ſuam debet coercere curioſitatem, & oculos ab aliis avertere, ſatis enim eſt ſi ſibi conſulat; alioquin extra omnem dubitationis aleam certiſſimum eſt, illam inutilibus ſpeciebus, ſuperfluiſque curis repletum iri. Stupebit illa quidem ſingulis momentis intuita, cor ſuum tumultu, atque indignatione contra aliorum defectus fervere: vix ſeipſam poterit continere, ne loquatur; fallax zelus impatientia incitatus, cui occaſionem curioſitas tribuit, illam indeſinenter laniabit, atque ita occupabit, ut pacem omnem amittat: *Decerptum ex t. 1. Epiſtolarum Patris Surin.*

Curioſitas qua alienis immiſcemur, efficit, ut negotiorum noſtrorum obliviſcamur.

Eo quod Curioſitatem noſtram coercere minime adnitimur, & alienis immiſceri negotiis feſtinamus, quot res inutiles; quot accidunt actiones, conſiderationes, communicationes; conſilia, ſolatia, quæ non ſolum proximi noſtri negotiis neceſſaria non ſunt, noſtris vero maxime noxia? Eę quippe res quibus animum noſtrum deberemus impendere, negliguntur omnino, admirabilia noſtræ Religionis objecta in animas noſtras nullam impreſſionem efficiunt; futiles nugæ, leve aliquod negotiulum, acrius attentionem noſtram ad ſe pertrahit, quam hæ res quibus vacare noſtra quam maxime refert. *Idem.*

Quam difficile eſt mundi hujus immiſceri negotiis, quin ſæpe diſtrahamur, & nos curioſitas diſſipet? Objecta, quæ ſenſus noſtros afficiunt, numquam ferme in ſenſibus noſtris ſubſiſtunt; Ut plurimum mentem ipſam invadunt, cogitationes occupant noſtras, Dei oblivionem immittunt; & ſi quando omnem illius memoriam non auferunt, ſaltem applicationem noſtram imminuunt, caliginem quamdam offundunt, ne illius magnitudinem, at-

que

que bonitatem intueamur. Intermittunt, atque abrumpunt reverentiæ, & amoris ſenſus, eaſque laudes, quibus illum celebrare tenemur, & adhuc dici poteſt, hoc minimum eſſe malum, quod curioſitas pariat. *P. le Valois Epiſtola 6. de Receſſu.*

Diſſipatus, & curioſus interiori vitæ ineptus eſt. Cum Deo communicaturi in hoc primum ſedulo incumbendum eſt, ut mentem, & cor quibuſcumque inutilibus rebus expediant. Qui ſcire quærunt, quidquid fiat, oculoſque jugiter habent apertos, ut alienos mores explorent, qui præclaras prætexentes cauſas cujuſcumque generis negotia amplectuntur, iiſque immiſcentur occupationibus, quæ ad ipſos minime pertinent; hi ſane plura debent abjicere, ut ſeſe ad convertendum cum Deo apte diſponant. Hujus viæ vir tantum abeſt, ut diſpoſitus ſit ad familiariter communicandum cum Domino, ut ne id cogitet quidem, tunc etiam cum ad id cogitare maxime teneatur. Interim Deus non loquitur illis, & ſi loqueretur, numquid audiretur, ea in agitatione, iiſque in turbis, quibus homo ſuam explere curioſitatem contendit? *Auctor recens.*

Ut noſmet colligamus, quemadmodum oportet, ad interiorem vitam vivendam, ante cætera evitandę ſunt inutiles omnes curioſitates, ad quas nos rapit naturalis quædam libido omnia ſciendi. Videre volumus quidquid ſeſe nobis offert, audire quidquid dicitur, ac denique cujuſcumque ſpeciei objectis immorari, & ut cum S. Auguſtino loquar aviditime famelicas cogitationes noſtras circumferimus in imagines omnium terrenarum rerum, & hic inordinatus appetitus eam in nobis gignit perturbationem, quæ ſatis exprimi nequit. Efficit enim, ut naturales animæ noſtræ facultates in perquiſitione inanium voluptatum exhauſtæ, pares non ſint, ut intrinſecus vires omnes ſuas colligant iis vacaturæ exercitationibus, ex quibus major utilitas percipiatur. *Ex Epiſtola Surin tom. 1.*

Quanam in re curioſitas ſit mortificanda ne in majora mala ruamus. Ad evitanda mala omnia, quæ ex curioſitate proficiſcuntur, ſatis nequaquam eſt ſibi interdicere ſpectacula, aliaque profana ſolatia, quæ majorem mentis diſſipationem, & cordis effuſionem efficiunt; recedendum quoque eſt ab iis cœtibus, ubi facetæ, mimicæque narratiunculæ afferuntur, & ubi id unum quæritur, ut cum proximi detrimento oblectentur. Non loquor autem de nimium liberis cœtibus, ubi mens, & cor non diſſipantur ſolum, verum etiam omnino corrumpuntur: de illis loquor, qui indifferentes vocantur, in quibus omnia fabularum genera venditantur, ubi narrantur quæcumque in Civitate fiunt, ubi familię omnes cenſoria ſeveritate notantur. Verum eſto, non aliud committatur malum; nonne ſatis magnum malum eſt, inde referre mentem prorſus diſſipatam, inanibuſque refertam ideis ſemper recurrentibus cum de Deo cogitandum eſt, & orationi vacandum? Adde, ſi vis, te ipſum colligere, atque in hoc ſtatu permanere, abſtinendum eſſe a ſuperfluis viſitationibus, quæ ad tempus tantummodo traducendum inſtituuntur; hæc enim jam diſſipationis nota eſt, ſecum morari non poſſe, & alibi oblectationem inquirere. Et ſane quis inficiari poterit hujuſmodi viſitationes, moroſaſque converſationes in nobis moleſtas relinquere imagines eorum omnium, quæ viſa, & audita fuerunt, atque ut plurimum nos ex hujuſmodi cœtibus recedere mente inani, & fatigata, quæ inde ut plurimum faſtidium refert, unde voluptatem percipere cogitabat? Hoc denique nobis perſuaſum eſſe debet, quandoquidem ſatis aperte docet experientia, ineptos hos ſermones, inutilia colloquia, ſuperfluas viſitationes prohibere, ne juſtam aliquam vitæ rationem ſequi poſſimus, ne orationi tempus neceſſarium poſſimus tribuere, omnibuſque ſtatus noſtri, & Religionis officiis perfungi.

Non deſunt notę quædam ex quibus ſpiritus noſtri diſſipationem cognoſcere poſſumus. Huiuſmodi ſunt gaudia nimium effuſa, in quibus ſpiritus ipſe, & cor extra ſe videntur egredi, & ubi ſatis liquido apparet nondum acquiſitum fuiſſe in omnes affectus imperium; facile enim ea conſectamur, quę ſpiritu rationabili ſunt indigna. Hæc effuſio lætitiæ in peculiaribus occurſibus fieri conſuevit, cum noſtrum metipſorum obliviſcimur, ac parum caute noſmet tradimus curioſitati. Illud vero divino ſpiritui multo magis oppoſitum eſt, necnon maximæ diſſipationis indicium, cum ſemper læti, ridenteſque ſumus: non enim deſunt nonnulli, qui nullam maturitatis ſpeciem non facie, non verbis, non geſtibus præſeferunt. Id genus homines hilaris ingenii dicuntur, qui nihil dicunt, quin in ſolutos cachinnos erumpant, & immodica ferantur lætitia, qui curioſius omnia ſcire feſtinant, ut oblectandi occaſionem arripiant; qui mortalium omnium riſum excutiunt, qui quæcumque vident in jocum traducunt, ac dummodo faceti habeantur, negotium illis non faceſſit, utrum fanda, infandaque dicant. Hæc ſunt diſſipatæ mentis indicia. *Pater Guillore. Tractatu de ſenſuum mortificatione.*

Qui tantam præſefert curioſitatem, inane gaudium, ac mentis evagationem, liquido oſtendit ſe Deo repletum non eſſe, & Sanctis illius motibus recipiendis nequaquam parem; necnon facili negotio, quæcumque ſeſe offerat occaſio, evagari per cordis ſui effuſionem. Neque dixeris hos homines, qui ſemper lætantur, qui omnia conquirunt, qui nihil dicunt, quod non ſit joco, aut ſale conditum, ne dixeris, inquam, id genus homines a gravibus obtrectationibus abſtinere, ſedulo carere, ne quempiam lædant, eorumque vivendi genus culpa vacare. Eſto quidem, eorum vita non æque ſit criminoſa ac impiorum, & eorum, qui ſe omnibus ſceleribus mancipant: verum hiccine caracter eſt veri fidelis, qui Deo dignos ſenſus foveat, atque omnibus officiis ſuis vacet? Hæc mentis diſſipatio nonne illis communicatur, qui cum ipſis conſueverunt? Nonne ex omnibus cœtibus proſcribit ſermones, qui aliquem pietatis ſenſum immittere poſſent? Nonne e contra immoderatum gaudium inſpirat? *Idem Tractatu de Spiritu ſerio.*

Curioſitas, vel deſiderium res inanes ſciendi ſpiritualis eſt avaritia, non minus periculoſa, quam quæ circa temporalia bona verſatur, curioſi quippe in eamdem cordis decidunt ariditatem, & avari. Hi quidem vitam ſuam traducunt replendis arcis, opibuſque congerendis, quin illis pro ſalute ſua utuntur, eas pauperibus erogantes; illi vero quin veræ pietatis ſpiritum concipiant, & humiliores fiant, prout doctiores evadunt, ſemper magis ſunt vani, prout majorem ſcientiam acquirunt, propriæ cognitionis exiſtimatione intumeſcunt. Sæpe quidem veritatis fulgorem diligunt, ſed illius praxim effugiunt; aliquando eam cognoſcere gaudent, non ut meliores evadant, ſed ut ſapientiores videantur, atque in cœtibus majorem laudem aucupentur &c. *Deſumptum ex morali Chriſtiana in Pater.* — Curioſitas eſt ſpiritualis avaritia.

Quot fideles vitam ſuam in rebus inanibus tranſigunt, tantummodo ut ſuæ curioſitati faciant ſatis? Alii quidem inquirendo Philoſophicum lapidem ſua diſſipant bona, ſuæque officiunt valetudini ſperantes, ſe tandem inventuros, quod numquam invenient. Aliis placet locupletiſſimas ſtruere Bibliothecas, pretioſiſſimis libris repletas, quos quidem elegantiſſime compingi volunt, ſed quos numquam legunt, eoſdem videndi mera voluptate contenti. Quot tabulis ingentis prætii, & ab egregiis pictoribus, elaboratis oblectantur, & ad eas comparandas ingentem auri vim impendunt? Quod voluptatem ſuam in viridariis excolendis collocant, eaque pulcherrimis floribus, fructibuſque exquiſitiſſimis ornat ex Regionibus exoticis accerſitis, ut ſe ſolos id genus fructuum, florumque poſſidere glorientur? Alii alia quærunt, atque ſumptibus minime parcunt, ut ſuum expleant affectum. Cum autem hujuſmodi occupationes inanes ſint, & ad ſalutem inutiles, atque ad curioſitatem, & oculorum concupiſcentiam explendam tantummodo inſerviant; peccata ſunt, de quibus coram Deo ratio erit reddenda, eo quod temporis jactura facta eſt, & opes in has nugas expenſæ, quæ in pauperibus alendis erant inſumendæ. *Ibid. l. 8. ſect. 4. art. 1.*

Abjicite, S. Auguſtinus ait, omnes has periculoſas curioſitates, quibus ſpectacula, ornatus ſervorumque pompam tantopere deperitis: ajicite improbas curioſitates, propter quas proximi veſtri actiones, motus, negotia, exploratis. Verum ſancta vobis curioſitas inſit, ut cognoſcatis tot malorum abditorum genera in Xenodochiis, in carceribus, in caliginoſis locis, ubi perfugium habet paupertas ex divitum ædibus ejecta. Quin voluptuoſa ſpectacula, profanoſque concentus conſectemini, audite clamores, gemituſque egenorum, quibus panis deeſt; cum interim vos inter delicias verſemini. Quin veſtram foveatis vanitatem, aliaſque affectiones excitetis obſcœnarum tabularum, magnificorumque aulæorum intuitu, languentem charitatem excitate, miſerrima ſubite tecta, ubi in ſordibus, & ſqualore egeni, imagines JESU CHRISTI, patiuntur &c. *Eſſais de Sermons pro ſexta poſt Pentecoſten Dominica.*

DE-

DETRACTIO,

CALUMNIA, ET QUIDQUID PERTINET AD JACTURAM ALIENÆ EXISTIMATIONIS.

MONITUM.

Quemadmodum detractionis vitium quovis tempore in paucis fuit vulgatiſſimum, ita huius argumenti Sermones frequentius in SS. Patrum ſcriptis occurrunt, & de Chriſtianis ſuggeſtibus audiuntur. Pauci Concionatores Argumentum hoc intactum reliquere, & nos collegimus ea quæ validiora, & aptiora cenſuimus ad vitii adeo communis, & pernicioſi horrorem ciendum.

Admonendum dumtaxat eſt, licet diſcrimen, quod calumniam inter ac detractionem intereſt, proſpectum ſit, exploratumque; tamen utrumque in eadem concione confundi veluti duas ejuſdem peccati ſpecies; cum ſimplici detractioni calumnia ſolam falſitatem, atque mendacium adjiciat, quæ quidem circumſtantia eſt peccatum aggravans, ac illius reparationem difficiliorem efficiens.

Sæpe equidem animadverti perpauca eſſe argumenta, quibus libentius aures adhibeatur, quam cum contra detractionem ſacer Orator invehitur: ideoque nullum eſſe, quod majorem concionatoribus occaſionem præbeat mores hujus temporis vivis coloribus exhibendi. Quamobrem accepta hac attentione utendum eſt, ut criminis horror imprimatur, & ut juſtus excitetur metus, ne quis in hoc ſcelus ruat, ſeu malum, quod novit, in apricum proferens, ſeu malum, quod ab aliis proditur, audiens.

Argumentum hoc pertractantibus utiliſſimum quoque monitum eſt, ut præſertim in arcta, atque inevitabili neceſſitate immorentur reparandi honoris, qui per detractionem aut calumniam proximo præreptus fuit; nihil enim aptius eſſe poteſt ad coercendam proclivitatem, qua naturaliter in hoc peccatum ferimur, ſed reparationis hujus difficultas exaggeranda eſt, quæ illam arduam quidem, non autem impoſſibilem efficit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus argumenti Syſtemata.

I. PRO concionis partitione, & argumento deſumi poſſunt tres propoſitiones, quæ quidquid hac in re validiſſimum, magiſque neceſſarium eſt, complectuntur. Prima eſt, detractionem horribile crimen eſſe, quod tamen homines vulgo non perhorreſcunt; quandoquidem illud paſſim committunt. 2. Crimen turpe eſt, ſed quod ſine verecundia, & ſine metu exiſtimationis noſtrę quidem amittendæ, alienæ vero obſcurandæ patratur. Tertia, contagioſum crimen eſt, ad quod evitandum nulla tamen cura adhibetur, multoque minus ad reparandum.

Propoſitio prima: *Grande crimen detractio*, S. Bernardus exclamat. Et profecto licet detractor nihil efficeret mali, præterquamquod unionem, concordiam, fraternamque infringeret charitatem, inexplicabile quidem malum efficeret, ac ſeipſum graviſſimi ſceleris reum ſtatueret, fundamentalem Chriſtianæ Religionis legem evertens. Dei Filius agnoſcens quanti momenti eſſet hanc ſervare præcipuam Regni ſui legem, pridie quam moreretur tria inſignia opera operatus eſt; ad hoc enim adorabile Corporis ſui Sacramentum inſtituit; explicitum Apoſtolis ſuis mandatum irrogavit, ut ſeſe mutuo diligerent: Æterno Patri ſuo preces fudit, ut illos in dilectione hac confirmaret. Corporis enim ſui Sacramentum, quod Communio vocatur, nonne ideo recipitur, ut ſimul omnes uniamur, quemadmodum S. Auguſtinus teſtatur? Mutuæ dilectionis præceptum, quod JESUS CHRISTUS Apoſtolis tradidit, nonne ad eorum conſenſionem ſpectabat? Denique Patrem ſuum oravit & pro illis, & pro cunctis, qui in ipſum erant credituri per prædicationis eorum miniſterium. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te*; ut omnes unum eſſent ad imitationem admirabilis illius unitatis, quæ in adorabili Trinitate eſt inter Patrem, ac Filium. Quid autem detractor? Quantum in ipſo eſt, fundamentalem hanc legem evertit, & labefactat: eas ſejungit perſonas, pro quarum unione Deus ſuum effudit ſanguinem: animos eorum ſeparat, quos quotidie Dominici corporis Sacramentum unire contendit, mutuę dilectionis præceptum infringit odio, invidia, & zelotypia, qua flagrat in eum, de quo obloquitur, ac ſenſu ultionis, & inimicitię, quem læſus in lædentem fovet: inutilem efficit orationem, quam Dei Filius jam jam moriturus pro omnium fidelium unione effudit, ac diſcordias ferit inter eos, qui numquam fortaſſe in gratiam ſunt redituri. Hoc illuſt eſt, quod peccatum hoc coram Deo quidem adeo enorme efficit, coram hominibus vero odioſum adeo: ſed quam parum illud homines horrent, quandoquidem ipſum facile, omnibus in locis, omnibuſque in cœtibus patrant? Quomodo vitium hoc omnium ſtatuum eſt, conditionum omnium, omnis generis mortalium; ut hoc recreationis loco quodammodo habeatur, ut ſine ulla religione patretur, ut merito etiam ſibi vertant ſcire alienis ſumptibus ſocietati placere, eique afferre delectationem. Hoc in loco ad oſtendendam criminis magnitudinem, & enormitatem, latius differi poteſt de injuria, qua afficitur proximus, cujus officitur exiſtimationi, quæ quidem bonorum omnium pretioſiſſimum eſt: deque funeſtis detractionis effectibus, necnon de obligatione, quæ contrahitur, injuriam hanc quocumque pretio reparandi &c.

Propoſitio altera, Detractionis peccatum non minus turpe eſt, quam horribile, & enorme; quod fortaſſe ægre quis ſibi perſuadebit, cogitans hac re ſibi acris ingenii laudem conciliare, cum voluptate ab omnibus audiri, totius conventus plauſus mereri, & demum complures hoc pacto narrationis lepidæ texendæ laudem aucupari, &c. Hoc pacto vult etiam haberi ſincerus, ac improbator malorum, vel ſaltem lepidus homo, qui riſum excutere novit, ac infirmam cujuslibet partem deprehendere. Verum nihilominus hoc turpe crimen eſſe probo. 1. Quia non ferenda ignavia eſt abſentem, & qui ſe tueri non poſſit, qui ne hiſcit quidem, & qui te fortaſſe numquam læſit, laceſſere; vel ſi tibi eſt inimicus, ignava profecto ultio eſt illius exiſtimationem deterere, quem coram non auderes attingere. Proprios defectus aperit, qui in apricum profert alienos: oſtendit ſe ſubiratum eſſe, atque dolorem ſuum diſſimulare non poſſe, ſe invidum, ſuperbumve eſſe, quia metuit ne alterius exiſtimatio ſuo nomini officiat. 3. Habetur tamquam maledicus, quo caractere nullus ſane turpior eſt. *Summa turpitudinis eſt, nihil fœdius*, S. Bernardus inquit. His tamen non obſtantibus detractor impudens eſt, cui æque parum propria exiſtimatio cordi eſt, ac aliena.

Propoſitio tertia. Vitium hoc eſt etiam contagioſum; & nihilominus nulla adhibetur diligentia ad illud evitandum, nulla cura ad curſum illius inhibendum, vel ad illatam injuriam reparandam. Hic primum oſtendendum eſt, quomodo ſecreta detractio ſeſe effundat, ac publicus rumor fiat; deinde vero quomodo detractor malum, quod intulit, ſeparare teneatur, & quam difficile hoc facere poſſit.

Oſtendendum eſt, quamvis detractio vulgatiſſimum ſit crimen, & ad committendum facillimum, II.
difficillime tamen dimitti.

Primum: Peccatum hoc vulgatiſſimum eſt; hoc ſatis docet experientia. 1. Hoc maxime naturale